DITTENBERGER

DE EPHEBIS ATTICIS

DE

EPHEBIS ATTICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

CONSCRIPSIT

WILHELMUS DITTENBERGER

VIMARIENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXIII.

IN LIBRARIA DIETERICHIANA.

HERMANNO SAUPPE

PRAECEPTORI CARISSIMO

HOC QUAMVIS EXIGUUM

PII GRATI MEMORIS ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Per longinquum temporis spatium, quod patet fere inde ab Alexandri Macedonis aetate usque ad tertium p. Chr. saeculum, de internis civitatis Atticae rebus quum scriptores fere nihil tradant ex solis titulis certiores fieri possumus. Ex quibus intelligimus, nullam rem graviorem in tota republica habitam, in nullam maiorem curam impensam esse, quam in ea instituta, quae ad iuvenes sive ephebos pertinerent, ita ut qui veram et accuratam reipublicae Atheniensium, qualis tunc fuit, descriptionem proponere velit, ei res ephebororum, quae cum institutis reipublicae et sacris et profanis arctissime coniunctae sunt, minime negligendae videantur: Quare non inutilem operam esse putavi, omnia quae eo spectarent ex titulis quam accuratissime componere.

Nam egerunt quidem de epheborum rebus multi iam eique doctissimi homines: ex antiquioribus Corsinum commemoro, qui in Fastis Atticis vol. II p. 132 sqq. eas tractavit; multo vero maioris momenti sunt, quae Boeckhius quum in adnotationibus ad corpus inscriptionum Graecarum, tum in commentationibus duabus (de ephebia in indice lect. Berol. aest. 1819. de militaribus epheborum tirociniis ibid. 18¹⁹|₂₀ [1]) exposuit. Praeterea etiam I. H. Krause (Die Gymnastik und Agonistik der Hellenen 2 voll. Lipsiae 1841), F. H. L. Ahrens, (de Athenarum statu politico et literario inde

1) Repetitae sunt in libro: G. Seebode, Neues Archiv f. Philol. etc. 1828 Heft 3 p. 78 sqq., cuius libri paginas ego in afferendis illis commentationibus adscribam.

ab Achaici foederis interitu usque ad Antoninorum tempora. Gotting. 1829), F. Chr. Beutler, (de Athenarum fatis etc. ibid. 1829) passim eiusmodi res aut tetigerunt aut accuratius tractaverunt. His omnibus, inprimis Boeckhio, quantum debeam, non est quod dicam, quum ex unaquaque huius libelli pagina appareat; neque rem post tales homines retractare mihi in mentem venisset, nisi post illorum scripta tot gravissimae inscriptiones repertae et, inprimis in libris Rangabé, antiquités Helléniques II voll. Athenis 1842—55. Lebas, voyage archéologique: deuxième part., inscriptions III voll. Paris 1848—55, Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική, Athenis usque ad ann. 1860 et περίοδος *B* inde ab initio 1862. *Φιλίστωρ* IV voll. Athen. 1861 sqq. publici iuris factae essent.

Sed priusquam ad ipsam rem accedam, de titulis ipsis nonnulla praemonenda erunt. Atque ad consilium nostrum haec potissimum genera utilia sunt:

1. *Decreta populi Atheniensium* quae ad ephebos pertineant. Ea quum continuam omnium eorum, quae per ephebiae tempus fieri solebant, enumerationem et descriptionem contineant, in eis tanquam fundamento tota huius rei cognitio posita est. Quare paulo accuratius de eis dicatur necesse est. Hucusque igitur in eo genere nota sunt haec exempla:

C. I. Gr. 117 (Rangabé 778, id quod editorem fugisse videtur, nihil est, nisi eiusdem tituli apographum paulo plenius).

Rangabé n. 993 et praeterea fragmenta quaedam admodum exigua (n. 442. 788. 995. 997. 2324; fortasse etiam 2282).

Ἐφ. ἀρχ. n. 2485. 4041. 4042 (de his duobus titulis exposuit E. Curtius, Nachrichten v. d. Universität u. d. Kgl. Ges. d. Wissensch. z. Göttingen, 1860 p. 323 sqq.) 4044 et nonnulla fragmenta minora (2456. 2457. 2467. 2485. 2487. 3479. 4043).

Denique quinque longe integerrima in Philistoris volumine primo a St. Cumanude edita, tria priora post p. 56 (etiam in Ἐφ. ἀρχ. edita sub n. 4097. 98. 4104 [2]) quartum p. 90 sqq.

---

2) Novissimo tempore haec tria repetivit et accuratissime explicavit

(Ἐφ. ἀρχ. n. 4. 107) quintum p. 288. Quae ego brevitatis causa solis numerorum signis 1. 2. 3. 4. 5. eo ordine quo se excipiunt in Philistore, significabo.

Ex his titulis unusquisque continet, aut certe continuit (nam praeter hos quinque alii omnes admodum mutili sunt) duo plebiscita Atheniensium, quorum priore ephebi et magistri, altero cosmeta finito ephebiae anno collaudantur et coronis ornantur. Post ea in nonnullis lapidibus (Φιλ. inscr. 1 v. 53—83. 4 v. 75—89) alia Atheniensium et Salaminiorum decreta adduntur, quae ad certa quaedam sacra pertinent, in quibus celebrandis ephebi laude dignos se praestiterint. Denique in fine omnium epheborum catalogus subiungitur.

Iam de tempore, quo hae inscriptiones compositae sint videamus. Atque antiquissima quidem est Rangabé n. 993. Ubi quum in tribuum serie, per quas epheborum nomina disposita sunt, Leontis et Acamantis se excipiant, ultima vero sit Antiochis, titulum ante Ptolemaida et Attalida, quarum haec ultimum, illa quintum locum tenebat, institutas conscriptum esse apparet. Atqui non decem sed duodecim fuisse tribus in hac inscriptione, ita quidem, ut duae antecederent Erechtheida, demonstravit Rangabé l. l. [3]). Quae fuerunt sine dubio Antigonis et Demetrias, quas primas in ordine tribuum fuisse a Boeckhio ad C. I. Gr. n. 111 demonstratum et deinde tituli Rang. n. 478 testimonio confirmatum est [4]). Itaque inter annos a. Ch. n. 307 et 265 titulus exaratus est.

L. Grasberger in »Verhandlungen der philologischen Gesellschaft in Würzburg 1862« init. Qui liber tum demum quum haec commentatio iam literis consignata esset, ad me pervenit, ita ut eius rationem habere non possem. Sed in calce huius libelli quae addenda mihi videntur, addam.

3) Per tres columnas singularum tribuum ephebi dispositi sunt, prima columna interiit, reliquarum utraque quattuor tribus continet, ita ut secunda a Pandionide, tertia a Cecropide incipiat; itaque duae ad explendam primam columnam non sufficiunt.

4) Aliud testimonium hic liceat addere. Scilicet Ἐφ. ἀρχ. n. 2462. 2464 in duobus fragmentis catalogorum ante Erechtheida duarum tribuum nomina antiquo tempore consulto deleta sunt; quum sciamus, nunquam alias tribus eo loco positas fuisse, Demetrias et Antigonis fuerint

Ceterae vero inscriptiones, de quibus omnino certi aliquid statui potest, aliquanto recentiores sunt. Nam catalogi ab Erechtheide incipiunt, et, ubi eae partes servatae sunt, Ptolemaida et Attalida continent (inscr. 3. 5.) Accedit, quod in his omnibus Romani *φίλοι, σύμμαχοι, εὐεργέται τοῦ δήμου* appellantur (*Φιλ.* inscr. 1 v. 18. 2 v. 21. 3 v. 15. 4 v. 14; etiam *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 10 ceteris inscr. collatis *ἀπήντησαν δὲ καὶ τοῖς συμμάχο[ις τοῦ δήμου] Ῥω[μαίοις* supplendum est et E. Curtii explicatio (l. l. p. 335), quamvis per se aptissima videatur esse, reiicienda: item ibid. 4042 v. 14). Foedus vero inter Romanos et Athenienses factum est anno 200 a. Chr., quum Philippus Demetrii f. Athenienses bello lacesseret (Paus. I, 36, 4). Ex altera parte id pro certo statui potest, omnes has inscriptiones exaratas esse ante imperatorum Romanorum tempora: nam in enumerandis ludis solemnibus, quos ephebi celebraverint, nulla mentio fit sacrorum in honorem principum factorum, quae postea permulta fuerunt (v. infra cap. IV §. 2 B). Sed etiam accuratius aetatem titulorum definire poterimus, si reputaverimus primum Romana nomina inter ephebos admodum rara esse, atque rarissima quidem in civium Atticorum numero (in *Φιλ.* inscr. 1. unum eiusmodi nomen est *Πόπλιος Λευκίου Μελιτεύς;* item unum inscr. 3, duo inscr. 4; in ceteris nullum superest), ita ut perraro cives Romanos Atticam civitatem adeptos esse, morem vero nomina gentilia Romana suis praeponendi, qui postea latissime patuit [5]), tum ne fuisse quidem omnino appareat. Sed etiam inter peregrinos non multi sunt Romani, velut inscr. 3 tres tantum ex septem et triginta ephebis peregrinis, quum ceteri omnes Graeci sint, inprimis Milesii, Antiochenses, Laodicenses. Etiam id haud negligendum videtur, illos Romanos omnes, et qui civium et qui peregrinorum loco sunt, solis suis et patrum *praenominibus* (velut *Δέκομος Δεκόμου*

necesse est. Cur deletae sint ei qui illius temporis historiam et mores noverit, minime obscurum erit.

5) Inprimis imperatorum nomina sibi assumere solebant; veluti *Φιλ.* *Α* p. 428 sqq. 484 sqq. inter ephebos unius anni non minus quam quattuor et quinquaginta Aurelii sunt; ibid *Γ* p. 555 adeo fere omnes id nomen gerunt.

'Ρωμαῖος, Μάαρκος Μαάρκου Μελιτεύς) appellari. Qui mos quum vere Graecus et a Romanis prorsus alienus sit, comprobat Graecos eo tempore morum Romanorum tam insuetos fuisse, ut potius Romani, qui in Graecia degebant, illorum mores imitarentur. Quibus omnibus in rationem vocatis non vereor ne nimis audax videar, si pro certo affirmem, omnes hos titulos *intra alterum ante Christum natum saeculum* compositos esse.

Consulto hucusque tacui de ipsis, quae in titulis insunt, temporum definitionibus, nomina archontum dico. Tantum enim abest ut haec ad tempus inscriptionum cognoscendum utilia sint, ut ipsa accuratiore temporis definitione egeant: versamur enim in eo tempore cuius archontum series continua prorsus interiit neque hucusque restitui potuit. Tamen id certe dici potest, nomina ea quae in titulis nostris insunt, non adversari eis, quae aliunde de aetate eorum statuimus. Nam in inscr. 3 inest Medei nomen, quem Meier comm. epigr. 2 p. 87 Argei Tricorysii aequalem fere fuisse docet: Argeum vero (ibid. p. 81) inter annos 168 et 27 a. Chr. munere functum esse demonstrat. Agathoclem (inscr. I) Corsinus F. A. IV, p. 114 refert ad annum 131 a Chr. Heraclitus (Ἐφ. ἀρχ. 4041) in fragmento catalogi archontum per aliquot annos continuato apud Meierum l. l. p. 69 invenitur, quod v. d. inter Ol. 130, 1 (260 a. Chr.) et Romanorum dominationem conscriptum esse statuit.

Ut accuratius definiatur, quaenam inter singulos titulos intercedat temporum ratio, fieri non potest; et si fieri posset, inutile esset. Id unum dici potest, omnes inter se haud magnis temporum intervallis distineri; quod quum ex totorum titulorum similitudine tum ex eorundem hominum nominibus, quae in compluribus insunt, intelligitur (cf. cap. II § 3, 2).

2. *Catalogi* epheborum et magistratuum gymnicorum. Huius generis permulta exemplaria inventa sunt, tempore a priore genere quam maxime diversi quum fere omnes ad imperatorum Romanorum tempora pertineant, quibus magis magisque invaluit mos omnia, etiam levissima, in aeternam posterorum memoriam literis mandandi. Maximi momenti eae tabulae sunt, quibus omnes eiusdem anni ephebi simul

cum praeceptoribus et praefectis, plerumque cosmetae iussu (C. I. Gr. 272. 276. *Φιλ. A* p. 384. *B* p. 268 sqq.) inscribuntur: nonnunquam etiam ephebi ipsi aut omnes una se inscribendos curant (C. I. Gr. 264. 265 *Φιλ. A* p. 522 n. 7) aut singuli propter victoriam in ludis reportatam aut alia de causa anathematis loco commilitonum et magistrorum catalogum ponunt (C. I. Gr. 277. 282. *'Εφ. ἀρχ.* 3204). Alii tituli solos ephebos continent (C. I. Gr. 275. 281. 284). Nonnulli eiusmodi catalogi imaginibus, cosmetarum potissimum, subscripti sunt, (C. I. Gr. 268. 270 *Φιλ. A* p. 518. 522) alii scutis rotundis lapideis incisi, (C. I. Gr. 284. *Ἀρχ. ἐφ. περ. B ἀρ.* 107) quem morem etiam ex titulo Rang. 675 (C. I. Gr. 108) cognovimus, ubi dicitur »*ἀνέθηκεν δὲ καὶ ὅπλα ὀκτὼ, καὶ ἀνέγραψεν τοὺς νενικηκότας* etc.« Accedunt catalogi eorum, qui in ludis solemnibus vicerunt: cuius generis inprimis duo quae ad Thesei sacra pertinent (*Φιλ. B* p. 132. *Γ* p. 150) magni momenti sunt.

3. *Minores varii generis tituli.* Inprimis hic commemorandae sunt permultae imaginum subscriptiones, cosmetarum potissimum (C. I. Gr. 258. *Φιλ. A* p. 516. 522 al.). Quod mirum non erit, si reputaveris, quotannis omnes ephebos cosmetae statuam posuisse, ut plebiscita illa docent, praeterea vero persaepe etiam a singulis ephebis (C. I. Gr. 261. 270; inprimis moris fuisse videtur, ut ipsius cosmetae filii patris statuam ponerent. *Φιλ. A* p. 428 n. 2. 518 n. 6) cosmetarum imagines erectas esse. Ceterum etiam paedotribae (C. I. Gr. 262) et principis epheborum (*Φιλ. A* p. 381. 382) imagines ponebantur, quarum subscriptiones servatae sunt. Plerisque vero eiusmodi imaginibus versiculi heroici aut elegiaci subscripti sunt. Porro commemoro aliorum anathematum, inprimis ab eis qui honorem aliquem aut victoriam adepti erant dedicatorum subscriptiones (C. I. Gr. 243. 248. 250. 251. 271. *Φιλ. B* p. 187).

Denique etiam tituli nonnulli sepulcrales huc pertinent, velut C. I. Gr. 249. 425 epheborum, *'Εφ. ἀρχ.* n. 3298 Abascanti paedotribae.

His praemissis iam ad ipsam rem accedam. Quam ita tractabo, ut primum res epheborum, quales fuerunt ante

Macedonum dominationem, brevi describam, deinde de posterioribus temporibus accuratius exponam. Atque quum demonstraverim, eos titulos, quibus certissimo tanquam fundamento in hac tota re cognoscenda utimur, eo tempore scriptos esse, quod inter Alexandri tempora et Romanorum imperatorum dominationem medium interiacet, quumque simul ex eis appareat, hoc tempore epheborum res et instituta maxime floruisse, etiam in descriptione mea ab huius temporis institutis exponendis ubique proficiscar et quae in eis postea immutata sunt, suo quaeque loco adiungam.

PARS PRIOR.

DE EPHEBIS LIBERAE REIPUBLICAE.

§. 1.

Ephebiae nomen et institutum apud Atticos antiquos arctissime cum civitate et rebus publicis conjunctum fuit.

Scilicet civium Atticorum filii, quum *duodevigesimum* aetatis annum agerent [1]), quae aetas saepe significatur formula illa a multis male intellecta **ἐπιδίετες ἡβῆσαι**, ita ut **ἥβη** incipiat ab anno sexto decimo, in civium numerum recepti sunt. Quod ita fiebat ut post probationem legitimae originis (**δοκιμασία**) a demotis institutam in tabulas publicas (**τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον**) demi ejus ad quem pertinerent, inscriberentur. Post hanc inscriptionem [2]) quae fiebat eo die, quo etiam per singulos demos magistratus eligebantur (**ἀρχαιρεσίαι**) [3])

1) De hac temporis definitione post Boeckhium A. Schaeferus, de Demosthene etc. vol. III, 2. p. 19 sqq. ita egit, ut iam nihil dubii relictum sit. Id unum non satis constat, utrum de absoluto, ut volunt Corsinus F. A. II, p. 318. Voemel Ztschr. f. Alterth. Wissensch. 1846. p. 126, an de inito duodevigesimo anno (Schaefer p. 35.) cogitandum sit; nam cohaeret haec quaestio cum intricatissima illa quae est de anno natali Demosthenis. Si enim hunc Dexitheo archonte (Ol. 98, 4) natum statuimus, id quod Pseudoplutarchus in vitis decem oratorum tradit, quum ipse (or. 30. §. 17. cf. Voemel l. l.) Cephisodoro archonte se inscriptum dicat, ad minimum duodevigesimum annum absolverat, cum inscriberetur.

2) Voemelius l. l. p. 123. inscriptionem *post* iusiurandum factam esse dicit, nescio qua de causa. Mihi certe, quanquam de hac re nihil expresse dicitur ab antiquis scriptoribus, tamen eorum loci (velut Lycurg. Leocr. §. 76.) magis eo ducere videntur, ut prius inscriptos esse iuvenes, deinde iurasse statuamus.

3) quo tempore hoc factum sit, pro certo dici nequit. Schaeferus p. 29. sub ipsum anni finem aut intra duo primos insequentis anni menses factum esse probabile reddit.

cives modo recepti in templo Aglauri armati iurabant, se officia civium nunquam neque in pace neque in bello deserturos. Quod iusiurandum servatum apud Stobaeum floril. 43, 48 et Pollucem VIII, 105 non indignum videtur quod totum hic adscribamus. Verba haec sunt:

Οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα [τὰ ἱερὰ] οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ὅτῳ ἂν στοιχήσω· ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ [ὑπὲρ] ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν, τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω, ὅσην ἂν παραδέξωμαι. καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων [ἐμφρόνως] καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι καὶ οὕστινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως· καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται, οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω· ἴστορες θεοὶ [τούτων] [Ἄγλαυρος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς, Θαλλώ, Αὐξώ, Ἡγεμόνη] [4]). Quae hucusque dixi quum aeque de omnibus ephebis valeant, praeterea ei, quorum patres in bello ceciderant, ut demonstraretur eos ante omnes alios populo curae esse, Dionysiis in theatro ante tragicorum certamen producebantur armati et a praecone populi Atheniensis nomine ad proedriam invitabantur (Plat. Menex. 249 A. Aeschines 3,154. Isocr. 8,82). Sed ex Aeschinis loco videmus eius tempore hunc morem iam obsoletum fuisse [5]).

Iuvenes igitur hoc modo in civium numerum recepti dicuntur *ἔφηβοι* civili huius vocabuli significatione; si quando de alia aetate dicitur latiore et ut ita dicam nationali vi accipiendum est [6]). Manebant vero ephebi per duos annos. At-

---

4) Ea quae uncis circumdedi, Pollux omittit, praeter deorum nomina quae apud Stobaeum desunt. Praeterea Pollux pro *εὐηκοήσω* scribit *συνήσω*, pro *ὁμοφρόνως ἐμφρόνως*, pro *πλείω δὲ καὶ ἀρείω* vero *πλεύσω δὲ καὶ καταρόσω*, quod sine dubio corruptum est. Praeterea leviora quaedam discrimina inter utrumque exemplar intercedunt, quae enumerare operae pretium non est.

5) Schaeferus contra monet Aristotelem Polit. II, 1268 huius moris tanquam suo tempore adhuc vigentis mentionem facere; sed de *hoc* more Aristoteles ibi omnino non dicit.

6) ipsum ephebiae initium vario modo significatur: *ἐγγράφεσθαι εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, εἰς ἄνδρας, εἰς τοὺς δημότας, εἰς ἐφήβους, δο-*

que ephebiae vis et natura ea fuit, ut iuvenes omnia quidem iura et officia civium in se susciperent, sed tamen ut eis bene uti discerent, non statim eodem quo ceteri cives loco haberentur: immo sapientissime legislator illud biennium interposuit, quo ita exercerentur et instituerentur, ut, quum vigesimo aetatis anno ex ephebis excederent[7]) iam optime parati essent ad omnia bonorum civium et strenuorum militum officia subeunda.

§. 2.

Iam singula videamus. Primum inscriptio in tabulas lexiarchicas maximi momenti erat in *privato* iuvenum iure, quum qui antea in patria potestate fuerunt, tunc sui iuris fierent[8]): orbi vero quum ex tutorum potestate excederent, simul rei familiaris possessionem et administrationem ipsi susceperunt; idem ex iure Attico valet de filiis *ἐπικλήρων*, quippe quae non amplius fruerentur bonis, quam filius puer esset. (Testimonia scriptorum vide apud Boeckhium p. 80 et Schaeferum p. 24 sq.).

Etiam publica autem iura cum ephebia coniuncta erant. Ita nonnunquam apud veteres scriptores legimus ephebos liturgias praestitisse. (Demosth. 18, 257. 21, 154). Porro in iudiciis causas agere eis licuit, ut apparet ex Demosthenis ipsius exemplo, qui statim post inscriptionem tutores accusavit. (cf. praeterea Lys. 10, 31.). Utrum autem etiam summo civium Atticorum iure in comitiis dicendi et suffragium ferendi praediti fuerint necne, de hac re inter homines doctos non convenit. Boeckhius enim p. 88 sqq. omnino negat,

---

κιμάζεσθαι (aut solum aut additis *ἄνδρα εἶναι* vel *εἰς ἄνδρας*) *ἄνδρα γίγνεσθαι, ἐξελθεῖν* vel *ἀπαλλάττεσθαι ἐκ παίδων.*

7) *ἐξ ἐφήβων γίγνεσθαι* (Plut. v. X or. 844 C.), etiam *ἐξ ἐφήβων εἶναι* dicitur (Teles ap. Stob. flor. 98, 72.) et *οἱ ἐξ ἐφήβων* (Φιλ. Γ p. 154) = *οἱ ἔνοι ἔφηβοι.*

8) hoc inprimis Aeschinis testimonio 1. §. 18. effici mihi videtur: *ἐνταῦθ᾽ ὁ νομοθέτης οὔπω διαλέγεται αὐτῷ τῷ σώματι τοῦ παιδός, ἀλλὰ τοῖς περὶ τὸν παῖδα, πατρί, ἀδελφῷ, καὶ ὅλως τοῖς κυρίοις. ἐπειδὰν δ᾽ ἐγγραφῇ εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον .. οὐκέτι ἑτέρῳ διαλέγεται ἀλλ᾽ ἤδη αὐτῷ,* et per se verisimillimum est.

Schaeferus p. 36 licuisse quidem dicit, sed plerumque factum non esse, quum ephebi per totum fere ephebiae temporis Athenis abessent. Et sane huic concedendum erit, non lege quadam vetitum fuisse. Tamen ex eo, quod apud Demosth. 44, 35. commemoratur *πίναξ ἐκκλησιαστικός* in quem postea quam in lexiarchicas tabulas illati sint, iure Boeckhius collegisse mihi videtur more constanti receptum fuisse ut inter illam inscriptionem et ius in comitiis dicendi aliquantum temporis interesset[9]). Magis autem Boeckhii sententiam confirmare mihi videtur, quod posteriore tempore (cf. cap. IV. §. 1. 2.) rem ita institutam fuisse scimus, ut ephebi armati assiderent quidem comitiis sed non dicerent. Nam ephebis ius aliquod quod ante habuerint postea ademtum esse verisimile non est, propterea quod sub Macedonum et Romanorum dominatione in tanta rerum publicarum exiguitate et vanitate in dies maiores honores ephebis publice tribuebantur, ita ut postremo etiam munera quaedam publica et satis gravia eis permitterentur (cf. cap. II. §. 4. 6, 2). Quidni igitur hunc morem, quippe qui tam bene conveniat cum eo quod supra statuimus totius instituti consilio et natura, etiam huic priori tempori vindicamus?

§. 3.

Iureiurando illo, quod in Aglauri templo fiebat, id indicatur, quod per totum liberae reipublicae tempus valuit, civis et militis officia ita inter se coniuncta esse ut discerni omnino nequeant. Quare id vel maxime curavit respublica, ut ephebi strenui milites fierent; quae exercitatio militaris tam coniuncta est cum ephebia, ut etiam infimis temporibus, ubi iam omnis virtus militaris e populo Atheniensi evanuerat, tamen hic mos retineretur.

Exercebantur igitur ephebi per illos duos annos ita quidem, ut primum per aliquod tempus Athenis armorum usum et res tacticas discerent (cf. cap. III, §. 3.) deinde circuito-

9) Lucian Iup. trag. c. 20. propterea huic sententiae obmoveri non potest, quum ex verbis *πρόπαλαι μὲν ἐξ ἐφήβων γεγονώς, ἐγγεγραμμένος δὲ εἰς τὸ τῶν δώδεκα ληξιαρχικὸν* appareat, scriptorem veram rei rationem prorsus turbasse.

res terrae (*περίπολοι τῆς χώρας*) fierent et castellis in terrae finibus sitis praesidio essent. Ita paullatim itineribus, excubiis, castris, rebus bellicis adsuescebant (recte Pollux VIII, 105 *ὥσπερ ἤδη μελετῶντες τὰ στρατιωτικά*). Quamdiu autem ita per terrae fines vagati sint, inter auctores antiquos non convenit. Aeschines enim 2, 167 dicit se per duos annos *περίπολον τῆς χώρας* fuisse: cuius testimonio Harpocratio s. v. *περίπολος* opponit, Aristotelem in republica Atheniensium de ephebis haec dixisse: *τὸν δεύτερον ἐνιαυτὸν, ἐκκλησίας ἐν τῷ θεάτρῳ γεγενημένης, ἀποδειξάμενοι*[10]) *τῷ δήμῳ περὶ τὰς τάξεις καὶ λαβόντες ἀσπίδα καὶ δόρυ παρὰ τοῦ δήμου περιπολοῦσι τὴν χώραν καὶ διατρίβουσιν ἐν τοῖς φυλακτηρίοις.* Atque ex recentioribus Voemelius quidem l. l. p. 124. Aristoteli accedit, Boeckhius vero (p. 87.) et Schaeferus, quum Aeschinem sequantur, Aristotelem errore de omnibus ephebis dixisse putant, quae (cf. §. 1 extr.) ad solos eorum qui in bello ceciderant filios pertinerent. At primum Voemelius contra hanc sententiam monuit, Aristoteli, homini omnium accuratissimo, tantum errorem imputari vix posse. Deinde siquidem Harpocratio satis accurate Aristotelem exscripsit, is de re adhuc usitata dixit, quum illum morem iam Aeschinis tempore abolitum fuisse viderimus (§. 1. not. 5). Etiam in ipsa re, quae describitur, nonnulla diversa sunt: Aeschines enim et Isocrates definite de Dionysiis dicunt et de eo quidem tempore, quo populus ad spectandas tragoedias convenerit; quo tempore omnino honores a populo decretos per praeconem renuntiatos esse notissimum est: cum quibus Aristotelis verba *ἐκκλησίας ἐν τῷ θεάτρῳ γεγενημένης* conciliari mea sententia nequeunt[11]). Denique illos civium in bello caesorum filios anno post alios ephebos demum armis instructos et ad militiam vocatos esse,

10) Ita enim legendum pro vulgato *ἀποδεξάμενοι* ex coniectura Voemelii l. l. p. 124 extr., in quam etiam ego sponte mea incideram, quaeque confirmatur titulorum locis, velut 2 v. 23. *ἀπεδείξαντο* (sc. *οἱ ἔφηβοι*) *ἐν τοῖς ὅπλοις*. 3 v. 41 *ἐποιήσαντο δὲ καὶ ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἐφηβείας τὴν ἀπόδειξιν τῇ βουλῇ*. 4. v. 59 *ἐποιήσατο δὲ καὶ τὴ[ν ἀπό]δειξιν αὐτῶν ἐ[ν τε τοῖς ὅπλοις] καὶ τοῖς περὶ τὰ τακτικά.*

11) Quare necessarium esse non puto, ut cum Voemelio etiam hanc rem Dionysiis magnis factam esse statuamus; nam illo tempore iam invaluit mos comitia aliis quoque temporibus in theatro habendi.

non est nisi coniectura quamvis ingeniosa Schaeferi, quam eo firmare studuit, quod illis etiam liturgiarum vacationem in primum ephebiae annum concessam fuisse traditur. Quibus omnibus reputatis rem ita se habuisse puto, ut per priorem ephebiae annum Athenis exercitationibus quum gymnasticis tum militaribus operam darent, deinde altero fines terrae et praesidia circuirent. Aeschinis vero locum ita explico: non interest oratoris accurate dicere, quamdiu ab Athenis afuerit, sed id solum probare vult, se officiis militis omnibus satisfecisse; quare quum etiam Athenis ephebi rei militari operam darent et imperio strategorum subditi essent (c. II, §. 1.) iure etiam priorem annum ad militiam suam refert, quam minus accurate vocabulis περίπολος τῆς χώρας ἐγενόμην indicat.

§. 4.

De ceteris, quae ad ephebos pertineant, hoc tempore admodum pauca traduntur. Rempublicam quidem mores et universam vitam eorum curasse consentaneum est: sed quae de ea re traduntur et pauca et incerta sunt. Nam Isocratis locus 7, 37, quem Boeckhius aliique huc retulerunt, mea sententia vix ad ephebos pertinet. Refert enim penes Areopagum aliquando morum custodiam fuisse. Sed quum neque in verbis ipsis neque in totius loci nexu et sententia aliquid insit, quod de ephebis cogitare iubeat, potius de omnium civium moribus, quorum Areopagus antiquo tempore curam habuit (Hermann antiqq. publ. §. 110, n. 10.) intelligenda erunt verba oratoris.

Ex magistratibus vero, quibus epheborum cura mandata erat, solos decem *sophronistas* hoc tempore iam institutos fuisse pro certo scimus. Fortasse etiam alii fuerunt [12]).

Praeter rem militarem inprimis *gymnasticis* exercitationibus operam dedisse ephebos iure quidem dixit Boeckhius

12) De sophronistis v. c. II §. 5. Praeterea Boeckhius etiam *ἐπιμελητὰς τῶν ἐφήβων* fuisse statuit ex Dinarch. 3, 15 *καὶ ὁ μὲν δῆμος — ἀπεχειροτόνησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἐφήβων ἐπιμελείας.* Tamen his nomen ipsum muneris alicuius contineri non puto. (*Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ.* 199 *τοῖς περὶ τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν τεταγμένοις* i. e. omnibus praefectis et magistris epheborum).

p. 85. Sed etiam huius rei quae supersunt testimonia omnia ad inferiora tempora pertinent. Nam liberae reipublicae tempore haec omnia singulorum arbitrio magis permissa erant, quum neque praeceptores publica auctoritate instructi instituerentur, neque de ipsis exercitationibus lege aliquid praescriptum esset: quod proximo tempore quantopere mutatum sit, infra videbimus.

Etiam in sacris deorum celebrandis, in quibus postea ephebos primas partes egisse videbimus, hoc tempore quaenam fuerint eorum munera accuratius dici nequit. Sed consentaneum est iam tunc in summis certe festis, veluti Dionysiis magnis et Eleusiniis, ephebos, ut postea, armatos in pompis incessisse; id quod de Panathenaeis certo scimus, ubi omnino omnes cives armati pompam ducebant. (Thucyd. VI, 58. Meier allg. Encykl. Art. Panathen. p. 290). Quod hic monui, quia, id quod permirum est, in titulis proximi temporis, quum alia multo minoris momenti sacra recenseantur, de illa pompa ne verbo quidem mentio fit [13]). Cuius rei equidem causam ignoro.

13) Nam Φιλ. inscr. 5 v. 3 utrum recte Cumanudes suppleverit Πα]ναθην[αίοι]ς, necne, nequaquam certum est, praesertim quum omnibus praeter hoc vocabulum deletis quaenam fuerit eius loci sententia prorsus ignoremus: praeterea v. cap. IV §. 2 Α. 7.

PARS ALTERA.

DE EPHEBORUM REBUS, QUALES FUERUNT POST LIBERTATEM GRAECIAE EVERSAM.

Quantopere post pugnam Chaeroneensem Atheniensium res publicae immutatae sint, notum est: et hac mutatione etiam ephebiae institutum, quod totum ad res civiles spectabat, vehementer affectum esse facile intelligitur. Quum enim antea nulli rei plus tribuissent Athenienses, quam ut iuvenes rem militarem usu discerent, iam Demosthenis tempore, quum bella plerumque mercenariis militibus gererentur, civium bellica virtus languescere coepit. Quum autem respublica a Philippo Alexandroque subacta, deinde bellis, quae inter successores eorum exarserant, huc illuc iactata et concussa omnino sui iuris esse desiisset et Romanorum tutelae se tradidisset, non amplius opus erat, ut cives ad patriam defendendam educarentur. Quare quamquam etiamtum ephebi militum speciem prae se ferebant, quamquam antiquum illud terram circueundi officium mansit, quamquam in armis et rebus tacticis instituebantur, tamen haec omnia magis ad ludibrium quoddam et spectaculum magnificum, quam ad usum belli pertinebant.

Quo minus autem Athenienses valebant in rebus externis et bellicis, eo magis domesticis bene administrandis eos vacasse putaveris. Et re vera iuvenum quidem corporibus et animis excolendis et exercendis maiore etiam, quam antea, cura publice prospectum esse videtur. Quanquam igitur id ipsum, quod ea quae antea singulorum civium arbitrio permitti potuerant, nunc institutis et legibus administrare necessarium erat, aliquo modo depravati civium animi testimonium

est, quanquam etiam in his rebus permulta vanitati et ostentationi tribuenda sunt, tamen in ea cura et sollicitudine, qua tota civitas epheborum studia prosequitur (cf. cap. II §. 1 sqq.) illum humanitátis sensum penitus insitum Atheniensium animis agnoscere licet, qui virtuti civium et reipublicae potentiae tam diu superstes fuit: et in ea pietate et religione, qua ephebi ad patrum instituta et sacra observanda, ad patrum, a quibus tantopere degeneraverant, fortia facta celebranda instituebantur (v. cap. IV §. 2, 1 sqq.) inest aliquid quod animos nostros moveat. Itaque etiamtum Athenae humanitatis laude florebant, ita ut undique e Graecia, mox etiam Roma, advenirent invenes qui epheborum exercitationibus et certaminibus interesse et literis operam dare vellēnt, et novum quendam splendorem ephebiae Atticae addiderunt.

Tamen haec omnia, quum virtus civilis evanuisset, labem civitatis magis magisque irruentem sustinere non potuerunt. Quae quo vanitatis et humilitatis paullatim processerit demonstrant sacra imperatorum Romanorum, quae ab ephebis summa adulatione celebrabantur (cf. IV §. 2 *B*). Quare mihi quidem non dolendum videtur, quod circa initium tertii p. Ch. saeculi hae omnes res subito ex oculis nostris subtrahuntur *).

CAPUT PRIMUM.
DE EPHEBIA IN UNIVERSUM.

§. 1.

De epheborum conditione civili, numero, similia.

1. Hoc tempore non ut antea omnes cives, qui legitimam aetatem agebant, in epheborum numerum receptos esse homines docti ex exiguo epheborum, qui in catalogis incisis inveniuntur numero collegerunt [1]). Nam initio huius aetatis fere centum et quinquaginta ephebi quotannis inscribi solent, qui numerus postea etiam aliquanto minuitur, donec

*) Recentissimi tituli, in quibus epheborum mentio fit quorumque aetas omnino definiri potest, Caracalla imperatore compositi esse videntur.

1) Boeckh ad C. I. Gr. n. 272. Iam Corsinus F. A. II p. 145 exiguum epheborum numērum miratus erat.

Hadriani et M. Aurelii aetate, qua Athenae novo quodam flore gaudebant, rursus incrementum aliquod accedit[2]). In urbe vero nonaginta fere milium incolarum (Boeckh. Staatsh. I, p. 54 ed. 2) multo plures fuisse duodeviginti annorum iuvenes apparet. Videtur igitur quum iuvenes in lexiarchicas tabulas inscripti essent, eorum arbitrio permissum fuisse utrum inter ephebos recipi vellent, necne; et consentaneum est inprimis nobiles et divites iuvenes hunc honorem, quippe qui cum sumptu haud mediocri coniunctus esset, petiisse.

Multo magis autem a vetere usu recedit, quod iam *peregrini* quoque in numerum epheborum recepti sunt, qui in catalogis civibus Atticis per tribus dispositis subiunguntur, ibique priore quidem tempore vocabulo proprio ξένοι (inscr. 1. 3; in inscr. 4 sola litera Ξ est), postea ἐπέγγραφοι, adscriptitii, dicuntur[3]) (C. I. Gr. 272. 275. 277. 284. Φιλ. B. p. 431. Ἐφ. ἀρχ. 3202 al.). Hunc vero morem paullatim invaluisse, quum magis magisque fama literarum atque doctrinae iuvenes peregrinos Athenas duceret, inde intelligimus, quod in antiquissimo titulo Rang. n. 993. quem ante annum 265 a. Chr. compositum esse vidimus, nondum inveniuntur peregrini[4]), et ne in ceteris quidem ante imperatorum aetatem

2) In plebiscito n. 1. v. 35. CXL, n. 4. v. 45. CXLI ephebi fuisse dicuntur; in catalogo insc. 5. fere CLX aut CLXX fuerunt (CXLIX nomina servata sunt). Posterioris temporis permulti epheborum catalogi servati sunt, quorum plerique numerum paulo minorem exhibent (C — CXXX). Plures sunt C. I. Gr. 274. (CCII): mirum verum est, Φιλ. *A*, p. 428 sqq. 484 sqq. CCCLXXIII eiusdem anni ephebos recenseri, qui titulus M. Aurelii fere tempore exaratus est. Contra Φιλ. *Γ*. p. 60. C. I. Gr. n. 268. tam exigui numeri sunt, ut non putem de universis ephebis, qui illis annis fuerunt, cogitandum esse.

3) Vocabulum πρωτέγγραφοι, quo viri docti Chandlerum secuti cives ab adscriptitiis distinctos esse dicunt, equidem nusquam in titulis inveni. Φιλ. *Γ*. p. 555. dicuntur πολῖται, plerumque praeter vocabulum universale ἔφηβοι nihil superscriptum est. Eam vero sententiam de vi vocabuli ἐπέγγραφοι, quae nunc invento in antiquioribus titulis ξένων nomine comprobata est, iam Boeckhius proposuerat, quum alii aliter explicarent (v. Krause I, p. 272)

4) videtur enim in fine tituli post Κηφίσιος Κηφισοδήμου nihil amplius scriptum fuisse.

multi sunt (XXXVII in inscr. 3. XVII inscr. 4. XI in 1. 5). Contra C. I. Gr. 284. adscriptitii civium numerum fere aequiparant, *Φιλ.* A p. 522 sqq. vero quinque et septuaginta civibus centum quinquaginta duo peregrini subiiciuntur. Omnino hoc tempore peregrinos ad reipublicae sacra et ludos solennes admissos esse, etiam inde apparet quod *Φιλ.* B p. 132 v. 11. 134 v. 50 sqq. *Γ* p. 150 v. 13. 53, ubi victores Theseorum recensentur, praeter tribus Atticas etiam inveniuntur *τὰ ἐκ τῶν ἐθνῶν τάγματα.*

Prorsus singulare vero est, quod *Φιλ.* *Γ* p. 350 sqq. qui, titulus Hadriano consule scriptus est, ceteris ephebis LXXXI, nomina subiunguntur, quibus superscriptum est *Μιλήσιοι.* Quae res primum ut mihi videtur aptissima est ad L. Rossii sententiam, qui (de demis p. 42) Miletum demum Atticum fuisse gravissimis argumentis adhibitis omnino negavit confirmandam. Deinde autem, quum etiam ex aliis titulis intelligamus, imperatorum aetate permultos Milesios Athenis degisse[5], nostra inscriptio, quippe ubi non cum ceteris peregrinis coniungantur, sed separatim efferantur, demonstrare videtur, etiam Athenis (ut Aegialae et Minoae in insula Amorgo factum esse demonstrat Rossius l. l.) Milesios propriam quandam coloniam vel civitatem retento patriae nomine constituisse: quae res tamen non diu mansisse videtur.

2. Dispertiti fuerunt ephebi in *συστρέμματα* (*Φιλ.* *Δ* p. 384 n. 3. C. I. Gr. 274 b) quibus praefuerunt *συστρεμματάρχαι* *Φιλ.* *B*, p. 429. *Γ*, p. 553. Lebas I, n. 563. *Ἐφ. ἀρχ.* n. 2831 C. I. Gr. 285)[6]) ex ephebis ipsis electi, quod inde patet, quod ceterorum epheborum commilitones dici solent (*οἱ*

---

5) tituli Milesiorum epitaphii apud Boeckhium C. I. Gr. 692 sqq. sunt quadraginta duo, apud Rangabé n. 1871 sqq. 2428 sqq. triginta sex, quum ex singulis demis perpauci servati sint.

6) in lapide est *ΟΥCΤΚ . . ΤΑΡΧΔ*, in quo Boeckhius latere putavit *οἱ στεφανάρχαι;* quod vocabulum equidem in inscriptionibus non inveni, quare non dubito in titulo omnino negligenter scripto reponere *ο[ἱ σ]υστ[ρ]ε[μμα]τάρχα[ι*. praesertim quum vocabula *τοὺς ὑφ' ἑαυτοῖς συνεφήβους* ad munus systremmatarcharum optime quadrent. Quum igitur duorum systremmatum catalogum habeamus, neque exiguus numerus epheborum neque omissa tribuúm nomina, in quibus Boeckhius offendit, miranda sunt.

συστρεμματάρχαι — τοὺς συνεφήβους ἀνέγραψαν Φιλ. Β. p. 429). In hoc titulo undecim systremmatarchae efferuntur; qui numerus quum ab eo usu, qui in eiusmodi rebus apud Athenienses obtinuit, prorsus abhorreat, non dubito quin unum nomen aut evanuerit aut negligentia sculptoris omissum sit. Et re vera *Φιλ. Γ*, p. 549. *duodecim* systremmatarchae recenseri videntur[7]. Cum hoc vero systremmatum numero bene convenit quod *Ἐφ. ἀρχ.* 2235, qui titulus ephebos unius systremmatis continet[8], duodecim nomina scripta sunt, *Φιλ. Α*, p. 384. vero ex duobus systremmatis alterum duodecim, alterum tredecim ephebos continet. Haec enim fere est duodecima pars centum et quinquaginta epheborum, quem numerum fuisse supra vidimus.

Quanquam igitur systremmata numerum tribuum exaequabant, tamen nullam inter systremmata et tribus rationem intercedere statim intelliget qui nomina demorum *Φιλ. Α*, p. 384. n. 3. epheborum nominibus addita consideraverit[9]. Sed

7) sunt quidem tredecim nomina, sed iure primum ex iis E. Curtius (v. Cumanudem in Phil. ad h. l.) non hominis, sed dei esse dixit quem synephebum suum esse fingunt, similiter atque in alio nescio quo titulo Athena Polias inter prytanes recensetur.

8) in hoc titulo Pittakis quidem scribit *τῇ πόλε]ι στρέμμ' ἀνέθηκεν [ἐκ] τῶν ἰδίων Πολέμαρχος Ἀπολλοφάνης συνεφήβων.* Quod equidem non intelligo, explicationem vero viri docti multo etiam minus. Ceterum patet haec, ut mnltos eius modi titulos, heroico metro composita fuisse: qua de causa ne cum Bursiano quidem, qui vidit de systremmate hic agi (Berichte der Kgl. sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1860 p. 225) in ceteris restitnendis consentio, sed potius ita simpliciter legendum puto:

σύ]στρεμμ' ἀνέθηκεν
Τῶν ἰδίων πολέμαρχος Ἀπολλοφάνης συνεφήβων

Post *ἀνέθηκεν* non lacuna est, sed finis versus. Si cui displiceat *ἰδίων* pro pron. possessivo, conferat *Φιλ. Α.* p. 428. n. 3. v. 9. 518. v. 11. Ceterum consentio cum Bursiano, qui *πολέμαρχος* hic appellativum esse et systremmatarchae munus significare vult.

9) felici quodam casu evenit, ut recentissimo tempore inveniretur titulus (*Φιλ. Γ.* p. 444 sqq.) qui huius ipsius anni ephebos omnes continet, in quo omnia illa nomina suis tribubus adscripta redeunt. Magni momenti est, quod tres Milesii, qui illic in fine systremmatis recensentur, hic inter *adscriptitios* redeunt; qua re et Rossii sententiae de Mileto novum accedit testimonium, et peregrinos in eisdem systremmatis cum civibus coniunctos fuisse confirmatur.

ne peregrinos quidem a civibus separatos propria quaedam *τάγματα* constituisse docet C. I. Gr. 285, ubi iam Boeckhius ea nomina, quibus demi adscripti non sunt ad peregrinos retulit.

Nomen ipsum *σύστρεμμα* ab exercituum partibus repetitum (cf. Bursian l. l.) hanc divisionem inprimis ad res militares spectasse arguit. Sed etiam in ludis et pompis solemnibus eam usui fuisse verisimile est; et siquidem coniectura mea vera est (cf. cap. II §. 5) etiam morum custodiae aliquo modo inserviebat.

Plane singulare denique est, quod *Ἐφ. ἀρχ. περ. Β. ἀρ.* 107 extr. *τάξεις* quaedam epheborum commemorantur; quae quomodo a systremmatis diversae fuerint et quo consilio institutae, ne suspicari quidem licet.

3. Non ineptum erit, hoc loco nonnulla de iis vocabulis addere, quibus ratio et necessitudo, quae inter ephebos intercedat, significari solet. Ex quibus usitatissinum est *φίλοι*, quod saepe etiam aliis vocabulis, quorum vis minus late patet, tanquam ornamentum adiicitur, velut *φίλοι καὶ συνέφηβοι* C. I. Gr. 266. 269 *Φιλ* *Δ* p. 428 n. 3. *Γ* p. 62 al. *φ. καὶ συστάται* C. I. Gr. 268. Nonnunquam alia epitheta ornantia adduntur, velut *γοργοί* (de cuius vi cf. Boeckh ad C. I. Gr. n. 282.) et *γνήσιοι* [10]). Videtur igitur huius vocabuli usus tam late patere, ut prorsus in universum intimam amicitiam quae inter omnes ephebos intercedat significet, neque propria quaedam significatio subesse, praesertim quum ea quam Boeckhius ad C. I. Gr. n. 287 statuit, fortasse „primi anni ephebos minores natu maioribus secundi anni ephebis tanquam *φίλους* attributos fuisse," iam propter ea, quae de tempore ephebiae infra dicam probabilia non videantur.

Vocabulum *συστάται* de ephebis duplici vi dicitur. Primum singula epheborum paria, quae in gymnasiis inter se luctam aliaque certamina exercebant, hoc nomine signifi-

---

10) *φίλοι γοργοὶ γνήσιοι* C. I. Gr. 282. *φίλοι γοργοὶ Ἐφ. ἀρχ.* 2720. Lebas I n. 532. *Φιλ. Δ* p. 73. *στεφανοῦσιν οἱ συνέφηβοι — φίλοι γνησίους* (an *φίλους γνησίους?*) C. I. Gr. 287.

cantur [11]). Deinde vero nonnunquam non de duobus, sed de pluribus dicitur (C. I. Gr. 273. *Φιλ. Γ* p. 284 *οἱ ἐπὶ Κλ. Χρυσίππου ἔφηβοι φίλοι καὶ συστάται μείναντες. Δ* p. 73). Ibi magis universali sententia eos qui simul in acie stant (cf. *παραστάτης*) vel commilitones significat [12]).

Denique in uno titulo (C. I. Gr. 269) inest vox *συντρίκλεινοι* [13]) satis memorabilis, quum sine dubio ad communes epheborum cenas pertineat, de quibus praeterea nihil scimus.

§. 2.

Cum omnibus prioribus etiam Boeckhius (ad C. I. Gr. n. 287) iuvenes Atticos hac quoque aetate per biennium in ephebis fuisse putavit. Sed ex inscriptionibus nuper inventis apparet, iam ephebiae tempus in *unum* annum contractum esse. Nam primum quidem tituli semper de iis dicunt, qui certo quodam anno ephebi fuerint. Quod vero Cumanudes (*Φιλ. Δ* p. 54) statuit *οἱ ἐφηβεύσαντες ἐπὶ . . . ἄρχοντος* significare eos qui illo archonte ephebi esse *inceperint*, iam eo refutatur, quod multo saepius etiam altera formula *οἱ ἔφηβοι οἱ ἐπὶ . . . . ἄρχοντος* invenitur. (*Φιλ.* inscr. 1 v. 5. 25. 47, 53. 57. 2 v. 6. 92 al.) [1]). Sed dixerit aliquis, his vocabulis utrosque significari, et eos qui illo ipso archonte demum in epheborum numerum recepti sint, et qui iam alterum ephebiae annum agant. At de iisdem, qui initio anni inscripti esse dicuntur, in fine titulorum dicitur „*ἐποιήσαντο δὲ τὴν ἀπόδειξιν τῇ βουλῇ ἐπ᾽ ἐξόδῳ τῆς ἐφηβείας*· hoc vero nihil aliud significare potest nisi quum ipsi (omnes) ex ephe-

11) Eiusmodi complura paria recensentur C. I. Gr. 268, e quibus nonnulla simul fratrum sunt. Eadem vi accipienda est vox *Φιλ. Γ* p. 351 *ἐφηβεύσας — ἀνέγραψε τὸν συστάτην καὶ συνέφηβον*.

12) Nam Boeckhii explicatio „hic ephebi plures quam duo *συστάται* dicuntur, sed bini singula paria efficiunt" mihi non satisfacit, quia id ipsum aliquo modo indicatum vellem, de singulis paribus cogitandum esse.

13) Haec fortasse etiam *Ἐφ. ἀρχ.* 2603 restituenda est, ubi supersunt literae *ΣΥΝΤΡ . . (συντρόφους* Pittakis).

1) Multo minus etiam id probari potest, quod Cumanudes *ἐνιαυτὸς* vocabulum in his titulis duorum annorum spatium significare vult; quod, ut alia omittam, iam propterea perversum est, quia saepe huic vocabulo nomen archontis additur (inscr. 1 v. 24. 2 v. 57. 3 v. 70).

bis excederent.“ Deinde, quum tam accurate dicatur in his titulis de prioris anni ephebis, cur ne verbo quidem commemorantur illi, qui secundum ephebiae annum agunt? Imo illis obponuntur *οἱ ἐξ ἐφήβων* vel *οἱ ἔνοι ἔφηβοι*, i. e. qui superiore anno ephebi fuerunt, nunc iam non sunt (inscr. 1 v. 10). Quibus omnibus reputatis amplius de biennio ephebiae cogitare, id mea sententia esset disertis inscriptionum testimoniis vim afferre [2]).

Jam quae huius mutationis fuerit causa, mihi non difficile videtur explicatu. Priore tempore integrum alterum ephebiae annum in *περιπολείᾳ* consumptum esse vidimus. Postea vero per partem tantum anni, eamque ut videtur satis parvam, fines terrae perlustraverunt; quod statim eo anno factum esse, qui post ipsam inscriptionem sequebatur quique antea prior ephebiae annus fuerat, tituli docent (cf. cap. IV §. 1). Quare altero anno non amplius opus esse videbatur. Videntur igitur etiamnunc duodevigesimo aetatis anno in epheborum numerum recepti, sed iam proximo anno ex eo dimissi esse; cui sententiae equidem Teletis locum apud Stob. flor. 98, 72 „*ἐξ ἐφήβων ἐστὶ καὶ ἤδη εἴκοσιν ἐτῶν*“ contrarium esse non puto. Nam in scriptore, qui rhetorico modo singularum aetatum molestias enumerat, nemo mirabitur si paulo minus accurata temporis definitione utitur, praesertim quum etiam eius intersit numerum aliquantum exaggerare: quo maior enim aetate iuvenis esse dicitur, eo minus molesta illa atque indigna ei ferenda videntur.

Incepit autem ille ephebiae annus a mense Boëdromione, ut demonstravit Boeckhius de eph. tiroc. p. 87. ad C. I. Gr. n. 270 [3]). Nam omnes gymnasiarchorum menstruorum cata-

---

2) Itaque tali distinctioni, qualis est in titulo Chio C. I. Gr. n. 2214 (*ἔφηβοι νεώτεροι, μέσοι, πρεσβύτεροι*) hoc certe tempore Athenis locus non est. Nam *πυμάτη τάξις ἐφήβων* C. I. Gr. 246, quam Krausius I p. 276 eo refert, Boeckhius collato titulo 245 interpretatus est „tertium ordinem, qui est ordo epheborum“, ita ut ephebi non inter se, sed a duobus puerorum ordinibus distinguantur. Ceterum Suidae locum (s. v. *ἔφηβος*) ad sententiam meam de tempore confirmandam adhibere propterea nolui, quia is de institutis Atticis dicere non videtur (Boeckh l. l. p. 87).

3) Boeckhius ipse postea de ea re dubitavit, quia Corsinus F. A.

logi a Boëdromione incipiunt: in plebiscitis honorariis ex sacris quibus ephebi interfuerint primo loco enumerantur ea, quae Boëdromione mense fieri solebant: denique ea ipsa plebiscita plerumque primis eius mensis diebus facta sunt, id quod consentaneum est statim post ephebiae finem fieri solitum esse.

Itaque initio Boëdromionis mensis fuit dies inscriptionis epheborum (*αἱ ἐγγραφαί* inscr. 1, 5. 2, 6. 58. 3, 6 al.). Quam inscriptionem discernendam esse ab ea, qua in lexiarchicas tabulas referebantur, facile patet. Nam lexiarchicum quidem suum quisque pagus habebat; hic autem quum de communi omnium epheborum sacrificio cum illa inscriptione coniuncto dicatur, omnes ephebi simul in unam eandemque tabulam inscripti sint necesse est; deinde in lexiarchicum omnes cives inscribebantur, non ephebi soli (quae hoc tempore res magnopere diversae sunt); denique *ξένοι* vel *ἐπέγγραφοι* nunquam in tabulas lexiarchicas illati esse possunt. Cogitamdum igitur est de peculiari quodam epheborum albo vel catalogo [4]). Inscriptis ephebis solenne sacrificium fiebat (*εἰσιτητήρια* inscr. 1 v. 5. 34 [5])) in communi urbis foco in prytaneo, praesentibus cosmeta, magistris (1 v. 35), sacer-

II p. 403 probabile reddidit, Hadriani tempore etiam civilis anni initium in Boedromionem mensem, quo ille Athenas venerat, translatum esse. Et ex gymnasiarchorum quidem catalogis nullus est, quantum scio, quem ante Hadrianum compositum esse demonstrari possit. Tamen restant duo argumenta, quae ego addidi, ex titulis alterius a. Chr. saeculi petita, quo tempore annum civilem ab Hecatombaeone incepisse ex ipsis titulis apparet.

4) De epheborum albo, in quod etiam adscriptitii relati sint, iam Corsinus dixit F. A. vol. IV prolegg. p. XIV, quod tamen idem esse vult atque tabulas lexiarchicas (ibid. II p. 135).

5) Haec recentior forma praeterea invenitur in *Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδοτοι ὑπὸ τῆς ἀρχαιολ. ἑταιρίας φυλλ. α΄ ἀρ.* 5. Sed praeter eam etiam Atticam illam *εἰσιτήρια*, qua apud antiquos significantur sacra a senatu et a magistratibus in suscipiendo munere facta (Dem. 19, 190. 21, 214), postea in usu fuisse apparet ex titulo in *Ἐπιγρ. ἀνέκδοτοι ὑπὸ τοῦ ἀρχαιολ. συλλόγου φυλλ. β΄ ἀρ.* 64 v. 20. Grammatica vero ratione utraque forma differt eodem modo quo *ἰτέος* et *ἰτητέος*.

dote populi et Gratiarum, exegetis iuris sacri [6]) et ephebis. Quibus deis hoc sacrificium factum sit, non traditur, praeter Vestam, quae in fragmento tituli *Ἐφ. ἀρχ.* 1805 commemoratur, et Gratias, quibus sacra facta esse inde intelligitur, quod sacerdos earum adfuit: quod propterea memorabile videtur, quod etiam in sacramento epheborum (p. I §. 1). Auxo et Hegemone, quae sunt Gratiarum apud Atticos nomina, praeter alios deos testes advocantur. De iureiurando ipso in huius aetatis titulis nihil invenitur, neque pro illius saeculi ingenio mirum est, pulcherrimum illum antiquorum morem prorsus in desuetudinem venisse.

2. Quum de tempore ephebiae dixerimus, ab hoc loco non alienum erit quaerere quaenam ratio intercedat epheborum nomini cum aliis aetatum definitionibus, quae in titulis agonisticis inveniuntur. In qua quaestione ea, quam omnino gravissimam puto, lex vel accuratissime observanda est, ut si quid certi invenire volumus, quam severissime omnia quae ad alias civitates pertineant, ab institutis Atticis discernamus et ab hac disputatione prorsus removeamus; nam in eiusmodi rebus gentes et civitates diversae quam maxime variant.

Plerumque in certaminibus gymnicis *tres* aetates distinguuntur, quae solent vocabulis *παῖδες, ἀγένειοι, ἄνδρες* significari (Plat. legg. VIII, 333 C. C. I. Gr. 1591 (? cf. not. 7) Rangabé n. 960. 962. 963. 965). Neque dubium est C. J. Gr. 245, ubi solis literis *Α, Β, Γ* indicantur, eosdem hos tres ordines intelligendos esse. Pro *ἀγένειος* vero Plat. Lys. 206 D et titulus *Φιλ. Γ* p. 154 utuntur vocabulo *νεάνισκος*. Jam vero primum ex his generibus, quod est puerorum, rursus in duas partes divisum esse videmus ex Suida s. v. *Παναθήναια;* ibi enim Meierus (Allg. Encykl. Art. Panathenaeen p. 284) restituit *ἀγωνίζεται παῖς μικρότερος, πρεσβύτερος καὶ ἀγένειος καὶ ἀνήρ* (codd. *παῖς Ἴσθμια οὐ πρεσβύτερος*). Qua

---

6) Hos enim intelligendos esse demonstravit E. Curtius l. l. p. 333. Simili modo in sacris faciundis *ἐξηγηταὶ* commemorantur a Platone legg. VIII, 828 *B ὅπως ἂν μία γέ τις ἀρχὴ θύῃ θεῶν ἢ δαιμόνων τινὶ ἀεὶ ὑπὲρ πόλεως . . . . ταῦτα δὲ ξυνελθόντες ἐ ξ η γ η τ α ὶ καὶ ἱερεῖς . . . . ταξάντων.*

ingeniosa coniectura, si non vocabula singula, at certe sententia loci recte restituta esse videtur [7]). Denique quum in nonnullis titulis tres puerorum aetates praeter viros perscriptas videamus (C. I. Gr. 232. Rangabé 964. *Φιλ. B* p. 132 sqq. *Γ* p. 154 sqq.) id vix aliter explicari potest, quam ita ut cum Boeckhio tertium puerorum ordinem eundem esse dicamus, qui alibi *ἀγενείων* vocatur [8]). Quod eo facilius fieri potest, quod antiquitus duae tantum aetates, *ἄνδρες* et *παῖδες*, fuerunt, quodque etiam in rebus civilibus, quum *ἐξελθεῖν ἐκ παίδων* et *ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας* idem sit, omnes qui nondum viri sunt, puerorum loco habentur.

Ita igitur diversae aetatis indicandae rationes, quae sunt in titulis agonisticis, conciliandae esse videntur:

τάξις Α. παῖδες	(*νεώτεροι*)	= *τῆς πρώτης ἡλικίας*
	πρεσβύτεροι	= *τῆς δευτέρας ἡλικίας*
τάξις Β ἀγένειοι		= *παῖδες τῆς τρίτης ἡλικίας*
τάξις Γ ἄνδρες.		

Quaenam vero his vocabulis significentur aetates, in universum Rangabé vol. II p. 679 ita definivit, ut vix amplius de ea re dubitari possit, quum diceret, *παῖδας* usque ad sextumdecimum, *ἀγενείους* usque ad duodevicesimum, *ἄνδρας* inde a vicesimo aetatis anno fuisse. Iam quid fiet ephebis? Num haec aetas, quae pertinet a duodevigesimo ad vigesimum annum, *ἀγενείοις* an viris accensenda est? Nam quum epheborum ipsorum nomen rarissime inveniatur, atque sem-

7) Aliud exemplum eiusdem divisionis addit Meierus l. l. titulum C. I. Gr. 1591, quem Athenis inventum dicit neque quicquam obstare quominus Atticum esse putemus, quamvis Boeckhius inter Boeoticos retulerit. Sed illa distinctio non in hoc titulo invenitur, in quo simpliciter *παῖδες ἀγένειοι ἄνδρες* sunt, sed in eo qui antecedit, n. 1590, qui et in Boeotia inventus est et aperte ad res Boeotorum spectat.

8) Krausius I p. 267 etiam quartam puerorum aetatem in his titulis invenit „*παῖδες ἐκ πάντων.*“ Sed cur simplicissimae Boeckhii explicationi, qui haec vocabula „lusum omnium aetatum“ significare vult, contradicat, non intelligo, praesertim quum ne verbo quidem indicet, quamnam ipse aetatem his verbis significatam velit et quomodo omnino „*ἐκ πάντων*“ certam quandam aetatem significare possint.

per quidem in certis quibusdam certaminibus (velut in lampade *Φιλ. Γ* p. 154 al. *ἀκοντίζων ἐκ τῶν ἐφήβων* ib. *B* p. 137) neque veri simile sit, eos omnium aliorum certaminum, ubi nominatim non efferuntur, expertes fuisse, alterutri ex illis ordinibus adscribendi sunt. Atque mea quidem sententia dubium esse non potest, eos ad tertiam, id est virorum aetatem pertinere. Primum enim *ἀγενείους* nonnunquam etiam puerorum nomine comprebendi et viris opponi vidimus. At ephebi nonnunquam quidem *παῖδες* dicuntur (*Φιλ. Δ* p. 518 v. 4. 6. *Γ* p. 61 „*παισὶν ἐφήβοις*“ *Γ* p. 277 v. 3). Sed omnes hos locos ita comparatos esse, ut magis de poëtico et rhetorico, quam de proprio dicendi genere cogitandum sit, iam inde apparet, quod omnes versibus compositi sunt. Contra ubi accurate dicitur, semper ephebi viri sunt et pueris opponuntur. Deinde *Φιλ. Γ* p. 154 inter *νεανίσκους* et *ἐφήβους* distinguitur. Denique absolvitur tota quaestio tituli C. I. Gr. 246 testimonio. Nam ibi verba *ἐν δ' ἄρ' ἠϊθέοισιν ἐφήβοισιν κρατεροῖσιν τὴν πυμάτην τάξιν Μάξιμος ἦρε πάλης* Boeckhius collato tit. 245 ita explicanda docuit, ut Maximum ephebum in tertio ordine, quem supra vidimus virorum esse, victoriam reportasse diceret. Et quum inter ipsos ephebos nullum aetatis discrimen intercederet (cf. not. 2) *omnes* ephebi sine dubio ad virorum ordinem pertinuerunt [9]).

CAPUT ALTERUM.

DE MAGISTRATIBUS ET PRAEFECTIS EPHEBORUM.

§. 1.

1. Iam supra dixi, rempublicam ipsam, id est populum et senatum, penes quos in republica summa potestas erat,

9) Quod monui quia Boeckhii verba ad C. I. Gr. n. 246. „Tertia (*τάξις*) est *ἠϊθέων ἐφήβων κρατερῶν*, quod convenit in ephebos eos qui *εἰς ἄνδρας ἐγγεγραμμένοι* dicuntur“ ambigua sunt, quum ita intelligi possint, tanquam non omnes ephebi *εἰς ἄνδρας ἐγγεγραμμένοι* fuerint. Et re vera ita intellexit Krausius I p. 269. „Nach Boeckhs Meinung vertraten die ältesten derselben (der Epheben) die *ἄνδρες* in der erstgenannten Inschrift.“

summa cura epheborum res et instituta prosecutam esse. Quae cura inprimis in fine ephebiae conspicua erat. Tum enim primum institutum erat, ut ephebi senatui ostenderent, quid in armis rebusque tacticis profecissent [1]). Quo facto proximis post finem ephebiae diebus ex senatus consulto in comitiis decretum est, ut ephebi aurea, magistri vero singuli olivae (*θαλλοῦ*) corona ornarentur. Deinde iisdem comitiis (3 v. 66) aut aliquot mensibus post cosmetae quoque aurea corona decernebatur. Qui honores deinde Dionysiis magnis, Eleusiniis et Panathenaeis a praecone renuntiabantur, et plebisciti duo exemplaria lapidibus incidebantur; quorum alterum in foro, alterum fortasse in Ptolemaeo gymnasio ponebatur (cap. III §. 1).

Sed etiam intra ephebiae annum quae fierent accuratissime constituta fuisse legibus et plebiscitis videmus, quum in titulis fere omnia quae ephebi fecerunt, velut pompae (1 v. 7) sacrificia (2, 16) expeditiones militares (3, 22. 85) *κατὰ τὰ ψηφίσματα* facta esse dicantur. Imo etiam anathemata, quae ephebi deis offerrent, non pietati eorum et munificentiae permissa, sed decreto populi definita erant (*ἀνέθηκαν δὲ καὶ φιάλην τῇ Μητρὶ τῶν θεῶν ἀπὸ δραχμῶν στεφανηφόρον ἑκατὸν κατὰ τὸ ψήφισμα ὃ Διοσκουρίδης Διοσκουρίδου Φηγαιεὺς εἶπεν* [2]) 3, 41. *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 24.). Item de centum libris in bibliothecam in Ptolemaeo inferendis proprium plebiscitum perlatum esse demonstrat inscr. 5 v. 7 sq. Quae omnia id testari videntur, quod supra dixi, eo ipso, quod omnia quae antea singulis permissa erant tunc publica auctoritate imperabantur, indicari civium animum non iam eum fuisse, ut multa in rebus publicis sua sponte facerent.

Contra senatus Areopagitarum, cuius auctoritas isto tempore denuo aucta erat, in titulis quidem nunquam comme-

---

1) Tituli (1 v. 21. 2 v. 32. 3, 41. 4, 29) nihil nisi haec „*ἐποιήσαντο δὲ καὶ ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἐφηβείας τὴν ἀπόδειξιν τῇ βουλῇ*“, vel simile aliquid exhibent; sed sine dubio cogitatione addendum est *ἐν ὅπλοις*.

2) Eodem pertinet *Ἐφ. ἀρχ.* 4042 v. 38 ubi nunc vocabula *Διοσ[κ]ου[ρ]ίδου Φηγαιεὺς* supersunt.

moratur ita, ut cum epheborum rebus aliquo modo coniunctus sit [3]). Unus Axiochi auctor (367 A) de ephebo dicit *πᾶς ὁ τοῦ μειρακίσκου χρόνος ἐστὶν ὑπὸ σωφρονιστάς τε καὶ τὴν ἐπὶ τοὺς νέους αἵρεσιν τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς.* Tamen de hac re, quae optime conveniat cum ea quam tunc habuit Areopagus potestate, dubitare non licet.

2. Ex magistratibus reipublicae inprimis *strategis* epheborum cura mandata erat. Hi enim primo loco nominantur. ubi de epheborum praefectis dicitur (2, 61: *παρεχόμενος (ὁ κοσμητὴς) πειθαρχοῦντας τοῖς παραγγελλομένοις ὑπό τε τῶν στρατηγῶν καὶ ἑαυτοῦ* etc. 1, 38. 3, 77. 4, 58). Tamen quae potissimum fuerint eorum munera in his rebus, non patet, praeter curam honorum cosmetae et epheborum renuntiandorum et inscribendorum, quae iis in finibus titulorum demandari solet, quare plerumque etiam impensae eius rei a quaestore aerarii militaris erogantur [4]). Videntur vero in iis potissimum, quae ad res bellicas pertinerent, ephebi strategorum imperio subditi fuisse; unicum quidem huius imperii exemplum, quod in titulis commemoratur (3 v. 37 sq. 1, 19 sq. *ἐποιήσαντο δὲ καὶ τὰς καθολκὰς καὶ τὰς νεωλκίας, πειθαρχοῦντες τοῖς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν παραγγελλομένοις*) ad rem militarem pertinere videtur, quum sine dubio de navibus bellicis agatur. Praeterea animadvertendum est strategos semper in his titulis plurali numero efferri. Nam Romanorum quidem tempore unus ex iis, *ὁ ἐπὶ τὰ ὅπλα στρατηγός*, non tantum collegas suos potentia ita superavit, ut vix aliquis praeter eum omnino commemoretur, sed etiam omnium aliorum magistratuum longe potentissimus fuit, et praeter res bellicas etiam alias partes administrandae reipublicae curavit. Quae cum Ahrens p. 47 a Romanis ita instituta esse probabilibus argumentis demonstraverit, ex iis quae supra de ti-

3) Nam si quando Areopagi auctoritate cosmetae statua ponitur, ut *Φιλ. Α* p. 381. 382 (nam *τὰ συνέδρια* sunt senatus Areopagitarum et sexcentorum), hoc non ad epheborum curam pertinet, sed eo tempore omnino statuarum erigendarum veniam Areopagus dare solebat (Boeckh ad C. I. Gr. n. 263. Ahrens l. l. p. 36).

4) Rang. 995 haec res *τῷ* (an *τοῖς?*)] *ἐπὶ τῇ διοικήσει* mandatur, et idem fuit ibid. 993, ubi nunc nihil superest nisi ultimae literae ΄ . . . *ΚΙ*.

tulorum illorum aetate disputavi facile apparet, cur in iis etiam complures commemorentur.

Contra imperatorum tempore illum *στρατηγὸν ἐπὶ τὰ ὅπλα* non tantum militaribus exercitiis, sed omnibus epheborum rebus praepositum fuisse indicat Plutarchi locus quaestt. symp. IX, 1, 1: *Ἀμμώνιος Ἀθήνησι στρατηγῶν ἀπόδειξιν ἔλαβεν ἐν τῷ Διογενείῳ*[5] *τῶν γράμματα καὶ γεωμετρίαν καὶ τὰ ῥητορικὰ καὶ μουσικὴν μανθανόντων ἐφήβων.*

Iam ad eos magistratus, qui proprie ad iuventutis curam electi erant, transeo[6].

§. 2.

De Cosmeta.

Incipiendum erit ab eo magistratu, qui etiam in titulis semper primo loco effertur et omnium in hoc genere summus et honestissimus est, cosmeta[1]). Atque est is quidem magistratus annuus, id quod etiamtum mansit, quum alia munera, velut magistrorum, ad vitae tempus sumerentur[2]).

---

5) Ita emendavit E Curtius l. l. p. 337 libri *ἔλαβε τῷ Διογενίῳ.*

6) Nomen *συνάρχοντες*, quo nonnunquam hi omnes comprehenduntur, non ut quidam voluerunt per se positum hos homines tanquam collegium aliquod significat, sed semper, ut in vocabulo *συνέφηβος* et omnibus eiusdem generis, alicuius hominis, velut cosmetae, *συνάρχοντες* („collegae") dicuntur (Krause I p. 217). Itaque Aesch. 2, 169 iure Bekkerus restituit *ἄρχοντας.*

1) Hoc nomen, quo in titulis nihil frequentius est, apud scriptores fere nusquam invenitur. Equidem tres tantum locos novi Plat. Axioch. 366 E (in Bekkeri editione non est vocabulum: de codicibus B. in commentariis nihil dicit). Teles apud Stob. floril. 98, 72. Erotianus lex. Hippocr. v. *κόσμου.*

2) Quum hoc permultorum titulorum testimoniis confirmatum sit, Boeckhius quam antea proposuerat coniecturam, C. I. Gr. 395 („*κοσμητὴς τῶν θεῶν διὰ βίου*") *νέων* pro *θεῶν* scribendum esse, ipse postea improbavit. Neque mihi placet Ahrensii sententia (p. 55) qui hunc titulum in posteriora tempora reiicit, ex quibus nullum omnino de rebus epheborum Atheniensium nobis servatum est testimonium, neque Beutleri (p. 32) qui *κοσμητὴν τῶν νέων* ab epheborum cosmeta distinguendum dicit, ita ut sit *puerorum.* Nam ut omittam, quam mirum esset, hunc alterum cosmetam praeterea nusquam commemorari, *οἱ νέοι* quamvis for-

Creatur a populo *χειροτονίᾳ* (1, 33. 3, 69. 5, 34); priusquam munus suscipit, *δοκιμασία* [3]), postquam eo perfunctus est, *εὐθῦναι* ei subeundae sunt (inscr. 1, 42. 2, 88. 4, 61. 5, 45). Semper unus est [4]).

Cosmeta quum summam curam epheborum haberet, sine dubio ceteri magistratus eius imperio subditi erant, inprimis magistri epheborum, quos ipse eligebat (inscr. 1, 21). Ipse vero et gymnasticis exercitationibus epheborum (insc. 2, 60. 3, 83) et philosophorum scholis (2, 64) interest, ut diligentiam illorum et decoros mores custodiat. Deinde omnia sacrificia cum iis facit (1, 39. 2, 67 al), in pompis ducendis (2, 58) ephebis praeest; denique in expeditionibus quoque militaribus, quae aliquoties per annum in fines terrae fiunt, ipse adest; ipse cum ephebis Salamina, Marathona et in alias Atticae terrae regiones sacrorum faciendorum causa proficiscitur (2, 66. 69 sqq. 3, 85) ita ut nihil fere ab ephebis sine cosmeta fieri iure dixeris. Tamen in iis omnibus singula a minoribus magistratibus, veluti magistris, gymnasiarchis, sophronistis administrabantur, ipse cosmeta vero omnia moderabatur, prospiciebat ut ex legibus et decretis populi fierent, custodiebat ephebos ne quid contra decorem et mores honestos facerent utque parerent praefectis [5]). In quo coercendorum epheborum munere etiam multas pecuniae imposuisse videtur iuvenibus, quamquam unus ubi de hac re dicitur locus (inscr. 3, 80) tam lacunosus est ut nihil certi de iis dici possit.

---

tasse pueri esse possint, tamen hoc vocabulum nunquam ita usurpari potest, ut eo pueri ab ephebis distinguantur. Neque opus est his artificiis, quum omnino in lectione *τῶν θεῶν* offendendum non esse Boeckhius demonstraverit.

3) Nam haec indicari mihi videtur vocabulis *κοσμητὴν καθίστη ἐκ τῶν ἄριστα βεβιωκότων* inscr. 2 v. 56.

4) Quare Rangabé n. 2354 *τοὺς κοσμη[τὰς] Νικόφημ[ον] Τηλοκλ[ῆν] Φιλίσκ[ον] Εὐηγέ[την]* huc pertinere non potest.

5) Hoc saepe in titulis dicitur, velut 1 v. 36 *προενοήθη δὲ καὶ τῆς τῶν ἐφήβων εὐταξίας*; quae si contuleris cum Erotiani explicatione *κοσμητὰς τοὺς τῆς τῶν ἐφήβων εὐταξίας προνοοῦντας* facile in eam sententiam incides, eum, quem Erotianus exscripsit eiusmodi titulos cognitos habuisse.

Praeterea magni sumptus cum officio cosmetae coniuncti erant, quum non solum ad anathemata, quae ephebi dicabant, pecuniae partem conferre soleret (2, 79. 5, 37) sed etiam inscr. 1 v. 35 sacrificii illius initialis, 5, 27 adeo omnium quae per ephebiae tempus fiebant sacrificiorum impensas ipse sustulisse dicatur; accedit quod 1 v. 41 peribolum gymnasii qui conciderat ex sua re familiari restituendum curat.

Neque minores vero muneribus honores fuerunt quibus cosmeta afficiebatur, quum praeter coronam a populo datam etiam ab ephebis quotamis corona aurea ornaretur, et insuper statua quoque ei poneretur, ut omittam ea quae singuli sua sponte fecerunt (v. prolegg.)

Quando hoc gravissimum munus institutum sit, ita quidem definiri potest, ut neque antiquis Atticis notum fuisse [6]) neque vero, ut Krausius I p. 214 vult, imperatorum Romanorum tempore demum originem cepisse dicamus, id quod inde apparet, quod in illis alterius a. Chr. saeculi titulis non commemoratur modo cosmeta, sed iam summa potentia praeditus est. Videtur igitur paulo post Alexandri tempora, ubi omnino epheborum instituta vehementer immutata sunt, etiam hic summus moderator eis impositus esse.

Tam honorificum tamque sumptuosum munus iam ab initio ditioribus et nobilioribus civibus mandari solitum esse consentaneum est. Multo magis vero huius muneris dignitas et splendor Romanorum imperatorum tempore auctus esse videtur, quum nobilissimus quisque ex civibus id appeteret; id quod inprimis inde apparet, quod iidem homines, quos archontes et strategos, summos eo tempore magistratus, fuisse scimus, etiam cosmetae munere functi sunt; veluti C. Iulius Cassianus Apollonius Stiriensis archon eponymus est C. I. Gr. 272 A, cosmeta ibidem n. 272 B, M. Aurelius Alcamenes archon eponymus C. I. Gr. 283. *Ἐφ. ἀρχ.* 2601 *στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα* C. I. Gr. 353, cosmeta ib. 284, P. Aelius Alcidamus

---

6) Nam Plat. legg. VI, 772 A neque de hoc neque omnino de certo quodam munere vocem *κοσμητὰς* intellegendam esse patet.

στρατηγὸς ἐπὶ τὰ ὅπλα C. I. Gr. 485, cosmeta Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ. 107 [7]).

Eodem pertinet, quod cosmetae nomini saepe additur vocabulum ἱερεὺς, quum etiam sacerdotia inprimis nobilibus mandata sint. Krausius quidem I p. 212 hoc nomen cum ipso cosmetae munere coniunctum fuisse dicit, quod cura sacrorum ab ephebis faciendorum ei mandata fuerit. At hoc verum non esse, sed illo vocabulo nihil aliud dici nisi eundem hominem simul etiam aliquo sacerdotio functum esse, et inde perspicitur, quod ἱερεὺς modo additur cosmetae nomini, modo non additur, et inde quod saepe accuratiores eius sacerdotii definitiones eaeque inter se admodum diversae adiiciuntur (ἱερεὺς θεοῦ καὶ θεᾶς C. I. Gr. 274. Φοίβου προφήτης Φιλ. Γ p. 277. ἱερεὺς βουτύπος ibid. Δ p. 76). Id tantum concedi potest, fortasse cosmetis saepe talia sacerdotia mandata esse, quae aliquo modo ei, cui iuvenum cura tradita erat, bene convenire viderentur, ut Φιλ. Δ p. 428 ἱερεὺς Ἡρακλέους est cosmeta, C. I. Gr. 258 ἱερεὺς Εὐκλείας καὶ Εὐνομίας [8]).

Praeterea imperatorum tempore fere semper ludorum quorundam agonotheta est cosmeta. Et inprimis quidem Athenaeorum agonothesia saepe ei mandatur (C. I. Gr. 245. 283. Φιλ. Γ p. 278. Ἐφ. ἀρχ. 2601) sed etiam aliae ut Comodeorum Φιλ. Γ p. 278, Antinoërum in urbe et Epini-

7) In Ephemeride ipsa quidem Ἀρχιδάμου inest, sed E. Curtii praeceptoris carissimi eximia benevolentia ectypum ipsius lapidis ad me pervenit in quo literae ΑΛΚΙΔΑΜΟΥ tam bene expressae sunt, ut non possim quin editorem levitatis accusem. Ceterum eundem illum P. Aelium Alcidamum hunc esse indicant nomina Αἴλ. Θεμιστοκλῆς et Αἴλ. Ἀλκίδαμος quae inter ephebos recensentur v. 23. 24 eiusdem inscriptionis. Nam hos filios cosmetae fuisse ex titulo C. I. Gr. 246 eodem anno (ἐπὶ Σύλλα ἄρχοντος) composito apparet.

8) Has deas una iisdem sacris celebratas esse etiam Rang. n. 1089. (Ἐφ. ἀρχ. 2686) indicare videtur, ibi enim Κυνοίᾳ sculptoris errore pro Εὐνομίᾳ scriptum puto, quum Εὔνοια dea neque alibi commemoretur neque satis apte cum Εὐκλείᾳ coniungatur; Itaque etiam Φιλ. Δ p. 84 recte Cumanudem [ἱερέα Εὐκλείας καὶ Ε]ὐνομίας supplevisse puto. Etiam sedes huius sacerdotis nuper in theatro inventa est (Ἀρχ. ἐφ. περ. Β. ἀρ. 155).

ciorum C. I. Gr. 283. Theseorum *Φιλ. Α* p. 519. Adrianeorum ibid. p. 384. Etiam filii cosmetae agonothetae sunt *Φιλ. Γ* p. 278.

2. Quum igitur nobilissimi homines illo munere fungerentur, quibus honores cum eo coniuncti magis quam officia satis molesta curae fuisse putaveris, paullatim, ut videtur circa Hadriani imperatoris aetatem, mos invaluit, ut ex suo arbitrio cosmetae sibi allegarent homines quosdam, quibus partem negotiorum traderent, *hypocosmetas* vel *anticosmetas*. Hos enim non publice electos, sed privato consilio a cosmetis adhibitos esse colligo ex titulo C. I. Gr. 284, ubi catalogo epheborum haec adscripta leguntur: *ἀντικοσμήτῃ δὲ οὐκ ἐχρησάμην διὰ τὸ ἐν τῷ νόμῳ περὶ τούτων μηδὲν γεγράφθαι, ἄλλως τε καὶ τῷ υἱῷ ἐχρησάμην εἰς ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν.* Nam quod Boeckhius inesse vult, illum cosmetam in *hoc titulo ponendo* anticosmeta suo usum non esse, id et verbis ipsis minus accommodatum videtur (exspectaveris enim *τῷ ἀντικοσμήτῃ*) et omnino de eiusmodi titulis ponendis legibus praescriptum fuisse non traditur. Filios vero cosmetarum saepius patrum in coërcendis ephebis adiutores fuisse etiam alia exempla docent (C. I. Gr. 270 filius cosmetae alter ex hypocosmetis est, *Φιλ. Α* p. 384 anticosmeta). Denique cum eo, quod more magis receptum fuisse videtur quam lege institutum ut eiusmodi socios laborum sibi assumerent, optime convenit inconstantia numeri et nominis eorum. Quippe quum plerumque (C. I. Gr. 271. 272. 276. 281. *Φιλ. Α* p. 384. *Γ* p. 444. 553) unus *ἀντικοσμήτης* sit, C. I. Gr. 270 *ὑποκοσμῆται* duo, 274 b unus recensetur. Nam munera anticosmetae et hypocosmetarum diversa fuisse, ut volunt Beutler p. 32. Krause I. p. 212, quum nunquam in eodem titulo coniuncti inveniantur, quumque ne in hypocosmetarum quidem numero tituli sibi constent, probabile non est.

§. 3.

De magistris et ministris.

Iam dixi, hoc tempus a superiori magnopere eo differre, quod tum primum praeceptores epheborum publice institui coepissent. Tamen id memorabile est, eiusmodi praeceptores ante imperatorum tempora non fuisse nisi earum rerum quae

ad gymnasticen corporisque exercitationem spectarent. Ii vero collegium quoddam efficiunt et comprehenduntur nomine *διδάσκαλοι* (inscr. 1, 27. 2, 44. 3, 51) vel *παιδευταί* (inscr. 1, 35. C. I. Gr. 270 *Φιλ. Δ* p. 428 n. 3). In plebiscitis illis semper hi quinque enumerantur:

παιδοτρίβης
ὁπλομάχος (rarius *ὁπλομάχης* v. §. 4.)
ἀκοντιστής
τοξότης
καταπαλταφέτης (inscr. 2, 46 et ita sine dubio etiam supplendum est *Ἐφ. ἀρχ.* 2468) vel ut plerumque breviori nomine dicitur, *ἀφέτης*.

Huic collegio accedunt *γραμματεύς* et *ὑπηρέτης*, pro quibus unus titulus 2 v. 46 tres *ὑπηρέτας* effert.

Paedotriba est is, qui rem gymnasticam, quae proprie dicitur, docebat. Priore tempore, ut apparet ex Antiphonte 3 γ. §. 6, latius patuit eius officium; ibi enim etiam pila iacere docet ephebos, quod munus postea peculiari magistro, *ἀκοντιστῇ* traditum est.

Iam disceptatum et ab hominibus doctis, ad quam potissimum aetatem paedotribae doctrina pertinuerit. Atque plerique quidem nominis origine eo inducti sunt, ut proprie eum puerorum praeceptorem fuisse dicerent, veluti Corsinus F. A. II. p. 134 paedotribam a gymnasiarcho ita discernit, ut paedotriba quidem pueris, gymnasiarchus autem utrique aetati, maxime vero ephebis praesit. Sed ex titulis nostris iam patet, paedotribam etiam ephebos instituisse neque hanc leviorem partem muneris fuisse; discrimen vero inter eum et gymnasiarchum id potius intercessisse videtur, ut paedotribae esset officium docendi, gymnasiarchi vero inspiciendi et custodiendi [1]). Utrum idem fuerit epheborum et puerorum paedotriba, necne, decerni non potest, quamquam mihi quidem illud veri similius est [2]).

---

1) Per se patet hic de munere gymnasiarchi dici, quale fuit posteriore tempore (§. 4, 2).

2) In monumento sepulcrali *Ἐφ. ἀρχ.* 3298 Abascantus ille quem per tot annos epheborum paedotribam fuisse scimus *παιδοτρίβης ἐλευθέρων παίδων* dicitur. Quamvis vero minus accurate nonnunquam voce *παῖδες* ipsi ephebi significantur (cap. I. §. 2, 2) tamen omnem ingenuam

De discrimine inter gymnastam et paedotribam doctissime egit Krausius I. p. 218 sqq. Sed ex omnibus quae ille ex Aristotele, Galeno, aliis contulit, mihi apparere videtur, vocem ***γυμναστής*** nunquam, Athenis certe, munus aliquod significasse. Imo plerisque illis locis prorsus in universum de discrimine inter eum qui ad corpus excolendum aut sanandum via ac ratione accedit et eum qui usu tantum motus et artificia gymnastica tenet, disputatur; et hoc alterum quidem quum plerumque in publicis gymnastices magistris, i. e. paedotribis usu veniret, hi iis qui rationem artis perceperunt, quique modo ***γυμναστικοί*** (Aristot. polit. VIII. p. 1338b.) modo ***γυμνασταί*** (Xenoph. comment. II, 1, 20) dicuntur, iure meritoque opponuntur. Quare non mirum est, id quod Krausius ipse observavit, gymnastam illum a titulis prorsus alienum esse.

Nonnunquam duo homines simul paedotribarum munere funguntur. Quod non ita videtur explicandum, ut aliquando numerus paedotribarum auctus sit: imo regula quidem semper mansit ut unus eligeretur, sed nonnunquam sua sponte duo simul munus suscepisse videntur; qua in re etiam id fortasse non indignum est quod commemoretur, ex tribus quae omnino nota sunt eius rei exemplis unum (C. I. Gr. 265. Thebagenes et Theodorus Irenaei filii Hermaei) fratrum, alia (Philius et Apollonides Phrearrii B p. 187; Aristo et Demetrius Rhamnusii v. infra) certe eiusdem pagi hominum, fortasse cognatorum esse.

Ceterorum magistrorum quae fuerint munera ipsa nomina indicant, et quae praeterea de eis dicenda erunt, infra (c. III. §. 3) dicemus.

Constans ille magistrorum numerus primum mutatus esse videtur ineunte tempore imperatorum. Tum enim ***ἀκοντιστής, τοξότης, ἀφέτης*** in titulis omittuntur; quorum loco novus comparet *ἡγεμών* [3]). Atque ut illa quidem munera tol-

---

urbis iuventutem, et ephebos et pueros, hoc nomine comprehendi probabilius videtur.

3) Primi tituli in quibus haec mutatio conspicitur, sunt C. I. Gr. 266 (Claudio imperante) et *Φιλ.* *Γ* p. 60 sq., qui quum senatus sexcentorum commemoretur, ante Hadrianum, quum vero is simul cum Areopagi senatu

lerentur ea videtur fuisse causa, quod armorum consuetudo et exercitatio in dies magis supervacanea et molesta videbatur; novum vero *ἡγεμόνος* nomen, quanquam frequentissimum est in inscriptionibus, tamen quid sibi velit nusquam indicatur. Quare coniecturam veri fortasse haud dissimilem proponere licebit. Scilicet vidimus supra cosmetam etiam pompas, expeditiones militares aliaque itinera ipsos duxisse; quam curam quum satis molesta esset fortasse homini ipsorum imperio subdito tradiderunt, qui inde dux epheborum, *ἡγεμὼν* vocabatur.

Eodem fere tempore [4]), ut cosmetae, ita scribae quoque et paedotribae adiutores additi sunt, quorum nomina persaepe in titulis inveniuntur (*ὑποπαιδοτρίβης* et *ὑπογραμματεὺς* *φιλ. Α* p. 357. 520 *Β* p. 430 *Γ* p. 277. 444, praeterea *ὑποπαιδ.* solus C. I. Gr. 255. 265. 279. Memorabile est, quod *Φιλ. Α* p. 384 v. 21 *ἀντιγραμματεὺς* scriptum est, eadem quam in anticosmetae nomine vidimus inconstantia). Qui videntur ministrorum fere loco fuisse, nam quum alii magistri semper cives Attici essent, hypopaedotriba, hypogrammateus ministrique saepe peregrini fuerunt (*Ἐφ. ἀρχ.* 3200. *Φιλ. Α.* p. 525 v. 89. 528 v. 174) [5]).

Denique in postremi temporis titulis hi accedunt:

προστάτης (*Φιλ. Β* p. 430. *Γ* p. 555. *Ἀρχ. ἐφ. περ. Β. ἀρ.* 199). Quale hoc fuerit munus, ne coniectura quidem assequi possum.

ἰατρός *Φιλ. Β* p. 430. Fortasse ad hoc munus alludit Galenus eo loco quem Krausius I. p. 232 exscripsit (de valet. tuenda II, 8: *εἰ δέ τις ἢ γυμναστὴν ἢ ἰατρὸν ὀνομάζει τὸν*

---

statuae ponendae veniam det, imperatorum aetate (Ahrens p. 35 extr.) compositus sit necesse est. Ab eo inde tempore *παιδοτρίβης, ἡγεμών, ὁπλομάχος, γραμματεὺς* in omnibus titulis sunt, cuius rei exempla adscribere supervacaneum est.

4) Antiquissimum exemplum est C. I. Gr. 265, archonte Rhoemetalca rege Thraciae. Qui utrum maior natu intelligendus sit, qui Caesaris et Augusti aetate vixit (Meier comm. epigr. 2 p. 90) an minor, Tiberio imperatore (Tac. ann. II, 67) ut Boeckhius voluit, non liquet.

5) Sicubi (C. I. Gr. 270) sub vocabulo *παιδευταί* praeter quattuor illos praecipuos magistros alia nomina adduntur nulla muneris nota adscripta, ii hypopaedotriba, hypogrammateus et ministri sunt.

ὑγιεινὴν τοῦτον, ἀπὸ μέρους τε προςαγορεύει τὸ σύμπαν καὶ οὐ κυρίως). Videtur enim inter ἰατρὸς et ὑγιεινὸς eadem fere intercedere ratio quae inter γυμναστὴν et παιδοτρίβην. Certe ne ὑγιεινὸς quidem vox in titulis invenitur [6]) et ipsa Galeni verba magis eo ducunt, ut a quotidianae vitae usu alienam fuisse putemus.

διδάσκαλος ἐφήβων (Φιλ. Α p. 520. 523. Γ p. 357. Β p. 430. Γ p. 555. Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ. 199. 204). Etiam de huius muneris natura nunc demum titulo Φιλ. Γ p. 444 certiores facti sumus, ubi dicitur διδάσκαλος ἐφήβων τῶν ᾀσμάτων θεοῦ Ἁδριανοῦ ex quibus apparet eum musicarum rerum doctorem fuisse neque ante Hadrianum imperatorem institutum. Hoc igitur unicum magistri qui non in rebus gymnasticis instituerit ephebos, exemplum est.

Ut magistrorum numerus auctus est, ita etiam pro uno illo ministro mox plures variis nominibus praediti commemorantur. Saepissime inveniuntur κεστροφύλαξ et θυρωρός (C. I. Gr. 268. 269. 270. 273. 280. Φιλ. Α p. 520. 528 Β p. 430. Γ p. 63. 353), quorum ille arma quibus exercebantur ephebi condebat et custodiebat [7]), hic vero ianuam claudebat et aperiebat eosque quibus introire non liceret arcebat. Praeterea commemoratur λεντιάριος (C. I. Gr. 275. Φιλ. Γ p. 357. Α p. 528) quem Boeckhius Hesychii glossa („λέντιον· περίζωμα ἱερατικὸν") usus eum esse dixit, qui subligacula athletarum confecerit, et καψάριος (Φιλ. Α p. 521. Β p. 430). Huic Cumanudes custodiam vestimentorum ab ephebis depositorum mandatam fuisse putat, et sane in magnis atque frequentibus gymnasiis ea custodia opus fuisse consentaneum est. Sed magis fortasse eo opus erat, qui oleum in elaeothesio gymnasii conditum custodiret et ephebis distribueret (Petersen, das Gymnasium der Griechen, Hamburg 1858. p. 41) neque ab eo munere vocabulum καψάριος alienum esse vide-

---

6) Krausius quidem p. 241 ex titulo Deliaco C. I. Gr. 2416 affert ὑγιεινὸν τῶν ἐφήβων; sed ibi si quid video non potest fieri quin cum Boeckhio ipso Ὑγίεινος nomen proprium esse putemus.

7) κέστρος a Suida s. v. et Livio XLII, 63 novum fundae genus (quare Livius cestrosphendonam vocat) Persei regis bello inventum, fuisse dicitur et deinde ab utroque iisdem fere verbis describitur.

tur [8]). Denique in uno titulo (*Φιλ. B* p. 430) accedit *ὑποζάκορος*, quae vox ministrum sacris faciundis significat. Et eiusmodi ministrum fuisse non mirabimur, si reputaverimus quam multa sacra ephebis facienda fuerint.

2. Eligebantur hi magistri et ministri a cosmeta (inscr. 1 v. 21. [9])), et quidem quotannis. Sed quum ad eiusmodi officium non quilibet homo aptus esset, quippe quod exercitationem quandam et cultum animi et corporis postularet, iam illo tempore consentaneum est saepe accidisse ut eidem per seriem quandam annorum ab unoquoque cosmeta denuo instituerentur; cuius rei vel in paucis illis plebiscitis, quae nobis servata sunt, quattuor exempla inveniuntur, Herodotus Iteaeus hoplomachus ter (inscr. 1. 3. 5) Callias Aegiliensis *ἀφέτης* bis (inscr. 1. 5) Calchedo Perithoides *ἀφέτης* bis (2. 4) Nicander Euonymensis *ἀκοντιστής* bis (2. 5). Quare facile fieri potuit, ut haec munera omnino eidem per vitae tempus deferrentur. Quando vero hoc institutum sit, facillime intelligemus ex eius magistri exemplo, cuius nomen in titulis frequentissimum est, paedotribae. Atque Boeckhius quidem (ad C. I. Gr. n. 276) *παιδοτριβῶν διὰ βίου* inde a Tiberii tempore continuam seriem deducit. Sed putavit vir clarissimus, id quod ante inventos prioris aevi titulos veri simillimum erat, omnino omni tempore paedotribas per vitae tempus munere fungi solitos esse. Quodsi illum catalogum accurate examinamus, primum qui definite *π. διὰ βίου* dicitur invenimus Aristonem Aphrodisii f. Rhamnusium (C. I. Gr. 269). Sed fortasse etiam is, qui in compluribus titulis una cum illo paedotriba est Demetrius Isigenis f. Rhamnusius (C. I. Gr. 268. *Φιλ. Δ* p. 381. *Γ* p. 353) per vitae tempus munere functus est. Quorum tempus definitur duobus, quos

---

8) *κάψα* vocabulum a Suida explicatur *κίστη, θήκη*. Num praeterea inveniatur alicubi, nescio. *καψάκης* vero vocabulum cum illo cognatum in vet. Test. versione LXX interpp. lib. I. Regum 17, 12. 16 significat vas, quo oleum conditur.

9) *τοῦ κοσμητοῦ καὶ τῶν κατασταθέντων ὑφ' ἑαυτοῦ διδασκάλων*. Dicendum erat *ὑπ' αὐτοῦ*. Sed hoc in eiusmodi titulo nemo mirabitur. Quotannis vero electos esse quum iam ex his appareat tum indicatur in titulo admodum mutilo Lebas vol. I, n. 531 v. 12: „*κα[ὶ] τὸν ὁπλομάχον διὰ τοῦ ἐνιαυ[τοῦ*.

ultimo loco notavi, titulis, quorum hic (*Γ* p. 353) P. Aelio Hadriano archonte (112 p. Chr. v. Meier comm. epigr. 2 p. 80) ille tribus annis post eum quo Hadrianus imperator Athenas venerat (Corsini F. A. II. p. 106 sqq.), i. e. anno 135 p. Chr. compositus est. Quum igitur sub finem Traiani et per totum fere Hadriani principatum paedotribae fuissent, eos excepit Abascantus Eumolpi f. Cephisiensis, qui in permultis lapidibus commemoratur et per totum fere Antonini Pii et M. Aurelii principatum in munere fuit [10]). Cui successisse videtur Crato (*Φιλ. Β* p. 428, qui titulus vix post M. Aurelii mortem compositus esse potest, cf. cap. IV. §. 2 B); deinde Commodo imperatore fuit Epictetus Philerotis f. Sphettius (C. I. Gr. 276); quem excepit, ut videtur Severo imperatore, Nicostratus Hilari f. Pallenensis (*Ἀρχ. ἐφημ. περ. Β. ἀρ.* 199), et Caracallae aetate Telesphorus Menecratis Philaïdes (*Φιλ. Δ* p. 519. *Γ* p. 277. 553. *Ἐφ. ἀρχ.* 2831 [11])). Incerta est aetas Diotimi (C. I. Gr. 282. *Φιλ. Δ* p. 73.) Denique recentissimum ex omnibus quos novimus Boeckhius putat Zethum (C. I. Gr. 287).

Eodem tempore etiam aliorum magistrorum munera per vitam durare coeperunt. Saepe enim in titulis *διὰ βίου* aut

10) Iam C. I. Gr. 270, Aristone paedotriba, Abascantus noster inter magistros recensetur, estque ibi sine dubio *ὑποπαιδοτρίβης*; deinde, quum illi successisset, *Φιλ. Δ* p. 164 quartum *Γ* p. 283 septimum, *Ἐφ. ἀρχ.* 2235 decimum, C. I. Gr. 262 undecimum, *Φιλ. Δ* p. 384 undevicesimum (*ΘΙ* cf. Franz, el. ep. Gr. p. 350) C. I. Gr. 271 vicesimum tertium, ibid. 272 *Β* vicesimum sextum, *Φιλ. Γ* p. 444 duodetricesimum, *Δ* p. 523 tricesimum quartum annum in munere esse dicitur. Ex quibus titulis nullius tempus accurate definiri potest: tamen Boeckhius demonstravit, titulos C. I. Gr. 271 et 272. M. Aurelii aetate compositos esse, ita ut priores illi partim ad Antonini Pii principatum pertineant. Praeterea innumeri tituli Abascanti nomen exhibent, quod eorum aetati definiendae aptissimum est. Titulus eius sepulcralis est *Ἐφ. ἀρχ.* 3298, protomae ab ephebis positae subscriptio C. I. Gr. 263. Ceterum Abascantus Abascanti f. Cephisiensis cosmeta *Φιλ. Γ* p. 459 sine dubio filius eius est, quem eo consilio videntur Athenienses summo munere gymnastico ornasse, ut patri de iuventute optime merito gratiam referrent.

11) Ibi enim restituendum est *παιδοτριβοῦ[ντ]ος διὰ βίου [Τελεσφόρου τοῦ Μενε]κράτους Φιλαΐ[δου*, quum illis titulis hunc tempore propinquum esse etiam Stratonis scribae nomen demonstret.

singulis nominibus additur (*Φιλ. Α*, 519. *Γ* p. 356) aut universis superscribitur (*οἱ διὰ βίου Φιλ. Β.* 428 sqq.). Ut Abascantum paedotribam, ita etiam Stratonem Cithaeronis f. Acharnensem scribam perpetuum, qui inde a Commodo usque ad Caracallam munere functus esse videtur, in multis titulis commemoratum invenimus [12]).

§. 4.

De gymnasiarchis.

De gymnasiarchorum [1]) munere adhuc magnopere dissentiunt homines docti. Ex quibus inprimis Krausius I p. 181 quum summo labore omnia quae eo spectarent colligeret tamen quaestionem ipsam, quum vetera recentia, Attica peregrina permisceret, magnopere turbavit. Contra gymnasiarchiae Atticae veram naturam Boeckhius C. I. Gr. ad n. 202 paucis verbis verissime definivit, quum diceret »In vetere republica gymnasiarchia non magistratus fuit, sed liturgia: imperatorum aetate magistratus menstruus«.

1. Reipublicae liberae tempore gymnasiarchia semper in eorum munerum numero recensetur, quae *ἐγκύκλιοι λειτουργίαι* vocantur. Et de hoc quidem gymnasiarchiae genere Boeckhius de oec. publ. Ath. I. p. 609 sqq. ed. 2. ita exposuit, ut nihil facere possim, nisi ut quae ille invenit hic brevi repetam. Primum igitur hoc tempore gymnasiarchia non ad curam gymnasiorum in universum pertinuit, sed id solum gymnasiarchorum munus fuit, ut certis quibusdam sacris [2]) omnia quibus ad certamina quaedam opus esset pa-

---

12) C. I. Gr. 276. *Φιλ. Α* p. 519. *Γ* p. 277. *Ἐφ. ἀρχ.* 2831. *περ. Β. ἀρ.* 199, ubi quartum decimum annum munere fungitur.

1) Pro vulgari forma *γυμνασίαρχος* passim (Aesch. 1, 12. Hesych. s. v. C. I. Gr. 270. *Φιλ. Α* p. 518) *γυμνασιάρχης* legitur. Similiter *ὁπλομάχης* Plat. Euthyd. 299 C. Rangabé n. 995. Et ita semper *ξυστάρχης* et *συστρεμματάρχης*.

2) Boeckh. l. l. p. 611: „Bestimmt genug ist von mir die Liturgie hier und schon kurz vorher auf Festfeier beschränkt worden." Quum igitur liturgia non amplius duraret quam ludi ipsi cum eo, quo ad homines illos exercendos opus erat, tempore, iniuria Ahrens p. 56 de *annua* huius temporis gymnasiarchia dixit, quam deinde in menstruam mutatam esse, sed tamen liturgiam mansisse.

rarent, inprimis ipsos qui certaturi essent suis impensis conducerent alerent exercerent. Quaenam ea certamina fuerint Boeckhius quidem non prorsus definivit, sed mihi veri simillima videtur Haasii sententia (Allg. Encykl. Artikel Palaestrik p. 389) qui ad solas lampadas hoc munus refert, ita ut *λαμπαδαρχία* et *γυμνασιαρχία* nihil nisi eiusdem rei duo vocabula sint. Hi gymnasiarchi, ut omnes liturgi, e singulis tribubus eliguntur. Simillimum igitur hoc munus est choregiae, quacum etiam saepe (velut Dem. 4, 36. 20, 125) componitur. Huc igitur pertinent omnes tituli, quibus gymnasiarchia ad aliquem festum diem refertur, omnes in quibus cum lampade coniungitur, vel ubi inter gymnasiarchum et tribum aliquam ratio quaedam intercedit, ut Rangabé 998. 999. *Ἐφ. ἀρχ.* 2079. 3849. C. I. Gr. 252. 253. 257, inprimis vero in hoc genere memorabilis est titulus C. I. Gr. 251: *Ἑρμῇ ἐναγωνίῳ Αὐτοσθενίδης Αὐτοσθενίδου Ξυπεταιὼν ἀνέθηκεν γυμνασιαρχήσας Κεκροπίδι φυλῇ εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλα στεφανωσάντων αὐτὸν τῶν φυλετῶν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος.* Quamdiu haec vocis *γυμνασιαρχία* significatio manserit, accuratius quidem definiri non potest, id vero pro certo dicendum est, quum iam ea vox in sententiam plane aliam abiisset etiam hanc liturgiam amplius ita dictam esse prorsus incredibile esse [3]). Quomodo enim unquam duae diversissimae res eodem verbo nulla addita discriminis nota significari potuerunt? Ipsam vero liturgiam etiam posteriore tempore mansisse nomen *λαμπαδαρχία* (*Φιλ. Α* p. 328. *Γ* p. 154) quo tum solo significata esse videtur, indicat.

2. Transeo ad alterum gymnasiarchiae genus, quod magis ad meum consilium pertinet. Scilicet imperatorum Romanorum tempore demum [4]) inveniuntur duodecim aut tre-

---

3) Obstare videtur huic sententiae titulus apud Rossium de demis n. 29, post Hadriani principatum compositus. Sed ibi puto pro *γυ]μνασιαρχήσας [τῶ]ν Ἀνθεστηρίων* scribendum esse *γ. [τὸ]ν Ἀνθεστηριῶν[α,* praesertim quum etiam lampas illa Anthesteriorum alibi nunquam commemoretur. Est igitur ephebus qui vicit lampade, quique simul, ut tum fieri solebat, gymnasiarchus fuerat.

4) Instituti esse videntur paulo ante. At qui ex testimonio Aeschinis I, 12. et Platonis Axioch. 366 E demonstrare voluerunt, iam reipublicae liberae tempore hoc gymnasiarchiae genus fuisse, ei neglexerunt,

decim gymnasiarchi, singuli singulis anni mensibus adscripti (C. I. Gr. 267. 272. 276. *Φιλ. Α* p. 384. 522. *Γ* p. 350. 553. *Ἐφ. ἀρχ.* 3239 [5])). Passim accuratius epheborum gymnasiarchi dicuntur (*ἐγυμνασιάρχησε τοὺς ἐφήβους* C. I. Gr. 274) quo confirmatur suspitio Boeckhii, ab iis ita distinguendos *γυμνασιάρχους τῷ Ἑρμῇ* [6]), qui ipsi quoque duodecim numero in C. I. Gr. 270 recensentur, ut puerorum gymnasiarchi sint. Et hos fortasse intellexit auctor legis apud Aeschinem l. l. quum in Hermaeorum ludis gymnasiarchos puerorum mores custodivisse diceret.

Hanc gymnasiarchiam magistratum fuisse iam ex ipsa temporis definitione apparet. Et quidem *χειροτονίᾳ* hos gymnasiarchos electos esse quum titulus Salaminius docet C. I. Gr. 108, quum Salaminii, eo] tempore cleruchi Attici (Ahrens p. 61), omnino Atheniensium instituta imitati sint, tum universo huius temporis usu comprobatur (id. p. 25). Ex omnibus Atheniensibus electos esse iure monuit Beutlerus p. 32; qui tributim electos dicunt, hoc munus cum antiqua illa liturgia confundunt. Officium eorum id fuit, ut omnes qui in gymnasiis exercerentur custodirent et coercerent. Quare C. I. Gr. 256 *οἱ ἀλειφόμενοι* una omnes gymnasiarcho statuam ponunt. Eam

---

illum locum non Aeschinis esse, sed legis suppositiciae, Axiochum vero ut luculentissime demonstrat C. F. Hermann, Gesch. u. System der plat. Phil. I. p. 416 sqq., a falsario quodam posterioris temporis compositum esse. Mirum est, quod in plebiscitis illis non commemorantur, praeter 5 v. 6 *τιθέντων αὐτοῖς ἆθλα τῶν γυμνασιάρχων*. In quibus ne id quidem diiudicari potest, ad utrum gymnasiarchiae genus pertineant.

5) In hoc lapide servata sunt verba *Ποσειδεω . ., Ἀδριανιων, Γαμηλιων, Ἀνθεστηριων*, quorum unicuique nomen hominis subscriptum est. Editor supplet *Ποσειδεω[νίων*, quod errore pro *Ποσειδωνίων* scriptum esse putat: cetera pro integris habet, ita ut sacrorum quorundam agonothetae hic inscripti esse videantur. Sed quum illa quattuor vocabula prorsus ex serie mensium Atticorum se excipiant (*Ἀδριανιῶνα* mensem intercalarem testantur etiam tituli *Φιλ. Α* p. 384 n. 4. *Γ* p. 451) dubitari nequit, quin *Ποσειδεῶ[να], Ἀδριανιῶν[α]* etc. supplenda sint.

6) Cavendum est ne huc referamus eiusmodi titulos qualis est C. I. Gr. 255 *γυμνασιαρχήσας ἐν τῷ ἐπὶ Ἀριστοξένου ἄρχοντος ἐνιαυτῷ τῷ Ἑρμῇ*, quum hic *τῷ Ἑρμῇ* non ad *γυμνασιαρχήσας* pertineat, sed ad *ἀνέθηκεν*, quod mente supplendum est. Cf. C. I. Gr. 251. *Ἐπιγρ. ἀνεκδ. ὑπὸ τῆς ἀρχαιολ. ἑταιρίας φυλλ. α' ἀρ.* 14.

custodiam quam severe saepe exercuerint, docet Axiochus l. l. et Teles ap. Stobaeum flor. 98, 72. „*ἔφηβος γέγονεν· ἔμπαλιν τὸν κοσμητὴν φοβεῖται . . . τὸν γυμνασίαρχον· ὑπὸ πάντων τούτων μαστιγοῦται, παρατηρεῖται, τραχηλίζεται.* Ad quod officium etiam olei inter luctantes distribuendi cura pertinet, quod accipiebant quidem a republica, sed si non sufficiebat, de suo addere solebant (Boeckh. l. l. 611. C. I. Gr. 108 *προςεδαπάνησεν δὲ καὶ πρὸς τὸ μερισθὲν αὐτῷ ἔλαιον 'ἐκ τῶν ἰδίων*).

Inveniuntur vero etiam loci, ubi a menstruo gymnasiarchiae tempore aliquantum receditur. Primum nonnulli tituli *annuos* gymnasiarchos exhibent. Qua in re id inprimis animadvertendum est, semper annui temporis significationem cum aliqua vi efferri (*γυμνασιάρχης δι' ὅλου ἔτους* C. I. Gr. 274 b *Φιλ. Α* p. 384. *'Αρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ.* 199 *ἐγυμνασιάρχησεν τὸν ἐνιαυτὸν τοὺς ἐφήβους* C. I. Gr. 274. Rang. 1004 v. 13). Ex quo mihi apparere videtur, non tam lege aliquando annuam gymnasiarchiam institutam esse, quam sua sponte singulos munus per totum annum in se suscepisse.

Eodem modo iam Boeckhius explicavit, quod nonnunquam minus duodecim gymnasiarchis sunt, velut octo C. I. Gr. 268 novem *Φιλ. Γ* p. 277, ita ut unus vel alter per plures menses eam operam sustinuerit. Quod egregie comprobatum est titulis nuper publici iuris factis *Φιλ. Γ* p. 351, ubi duo homines binorum mensium gymnasiarchi sunt et p. 444 sq. ubi gymnasiarchorum nominibus id ipsum adscriptum est, primum quattuor, septem qui sequuntur singulos menses, nonum viginti (numerus intercidit, sed facili ratiocinatione suppletur) decimum decem dies in munere fuisse.

Denique in nonnullis titulis (C. I. Gr. 203. 204. 205. 206 B) *semestres* gymnasiarchi inveniuntur. Sed horum titulorum, qui omnes eodem loco, in Piraeeo, inventi sunt, ratio et argumentum in universum tam singularia sunt, ut homines docti aut de prorsus perturbato aliquando reipublicae Atticae statu cogitarent, aut de Attica illorum titulorum origine omnino dubitarent (Ahrens p. 50 sqq.) Quam rem quum diiudicare neque possim neque huius loci sit, malo prorsus in dubio relinquere quam vanas suspitiones promere.

P stremo animadvertendum est, recentissimo tempore

gymnasiarchos ex ipsorum epheborum numero sumi, velut **Φιλ. Δ** p. 522. n. 7. **B** p. 428. **Δ** p. 381. 382. 384. **Γ** p. 350 sq. (*ἀνέγραψε . . καὶ τοὺς ἄλλους συνεφήβους καθὼς ἐγυμνασιάρχησαν*). Hoc in tali officio, quale illud fuisse vidimus, permirum est; sed idem tunc etiam in aliis muneribus, velut agonothetarum, factum esse videbimus. Quod unum ex permultis testimoniis mihi esse videtur, quae demonstrent, tunc etiam magis quam antea iam factum erat, epheborum instituta a pristina illa gravitate degenerasse et in vana ludibria abiisse.

§. 5.

De sophronistis.

Iam liberae reipublicae tempore hunc magistratum fuisse ex lexicographis quibusdam scimus, unde de eo exposuit Boeckh. de oec. publ. I. p. 337. Atque fuerunt ii quidem decem, singuli ex singulis tribubus (ita emendavit Boeckhius, quum scriptum fuisset in Etym. M. s. v. denos ex singulis tribubus fuisse). Ad antiquum tempus hoc pertinere iam tribuum numerus indicat, quanquam nihil fere de iis apud ceteros scriptores invenitur; Dem. 19, 285 enim ut huc referamus necessarium certe non est, de Platonis Axiocho vero, ubi (367 A) eorum mentio fit, v. supra.

In titulis non ante Romanorum dominationem inveniuntur [1] (C. I. Gr. 262. 271) suntque tum semper *sex* cum totidem hyposophronistis (C. I. Gr. 272. 276. **Φιλ. Δ** p. 384. 519. 523. **B** p. 268. 428. **Γ** p. 277. 444. 553. *Ἐφ. ἀρχ. περ.* **B** *ἀρ.* 199) excepto uno titulo C. I. Gr. 277, quem Boeckhius paulo post 276 exaratum esse demonstrat, ubi quattuor tantum sunt.

Munera sophronistarum ex ipso nomine cognoscuntur. Videntur vero modestiam et pudicitiam epheborum non tam in gymnasiis, ubi a gymnasiarchis regebantur, quam in omni vita quotidiana, fortasse etiam in pompis atque ludis solennibus, curasse. Aptissime Boeckhius de ephebia p. 85 conii-

---

1) Prorsus ab hac quaestione removendus est titulus C. I. Gr. 214; hi sophronistae enim pagi sunt, non reipublicae, magistratus, et omnino ab illis diversissimi.

cit etiam in theatro, quippe ubi suum locum (*τὸ ἐφηβικὸν*) habebant, ephebos a sophronistis custoditos esse.

Qua in re quum iam per se consentaneum sit, unicuique sophronistae partem quandam epheborum, quos curaret, attributam fuisse, titulus *Ἐφ. ἀρχ.* 2235, ubi systremmati epheborum unius sophronistae et unius hyposophronistae nomen subiungitur, docere videtur, quum supra viderimus, duodecim epheborum systremmata fuisse, singulos sophronistas cum hyposophronistis suis binis systremmatis praepositos fuisse. Contra *Φιλ. Δ* p. 384 n. 3 duobus systremmatis quaterni sophronistae adscripti sunt, cuius numeri rationem expedire nequeo. Nam eo anno, ut semper fere, in universum sex sophronistas totidemque hyposophronistas fuisse apparet ex *Φιλ. Γ* p. 444 (cf. Cumanudis notam ad h. tit.), ex quibus duo hyposophronistae illic postremi inter octo sophronistas sunt.

§. 6.

De aliis quibusdam magistratibus.

1. Primum hic de muneribus quibusdam dicam, quae aut nomine aut re gymnasiarchiae similia, sed tamen ab ea accurate discernenda sunt.

Nomen *xystarchae* omnino in tribus tantum titulis Atticis invenitur, qui omnes post Hadriani tempus compositi sunt, C. I. Gr. 765. *Φιλ. Δ* p. 518. *Δ* p. 74 [1]). In aliarum civitatum monumentis persaepe reperitur sed ne ibi quidem ante imperatorum tempora; unde omnia diligentissime contulit Krausius I. p. 205 sqq., ubi id statuit inter gymnasiarchum et xystarchum discrimen, ut illum ephebis et pueris, hunc athletis exercendis praepositum fuisse dicat. Hoc etiam ad Atheniensium instituta pertinuisse, pro certo quidem in tam exiguo testimoniorum numero affirmari nequit, sed tamen ita fuisse verba *ξυστάρχην Κεκρόπεσσι καὶ ἀθλητῆρσι*, quae in versibus *Φιλ. Δ* p. 518 leguntur, indicare videntur. Quod si ita est, facile intelligitur, cur in titulis quae ad ephebos pertineant fere nunquam commemoretur. Alibi hoc mu-

---

1) Nam *Φιλ. Δ* p. 85 Atticus quidem titulus est, sed vocabula *ξυστάρχην ἐν Βειθυνίᾳ διὰ βίου* eum huc non pertinere demonstrant.

nus plerumque ad vitae tempus sumebatur (Krause p. 210) quod etiam Athenis ita fuisse veri simile est.

Etiam *curatores gymnasiorum* (**ἐπιμεληταὶ τῶν γυμνασίων**) rarissimo in titulis commemorantur: C. I. Gr. 466 (= **Ἐφ. ἀρχ.** 1590) ubi curator Lycei anathema offert Apollini, cui Lyceum sacrum erat (Paus. I, 19, 4) et C. I. Gr. 353 ubi **ὁ ἐπὶ τὰ ὅπλα στρατηγὸς** simul est **ἐπιμελητὴς γυμνασίων** (fortasse melius **γυμνασίου**) **βασιλέως θεοῦ Ἀδριανοῦ**, ut quidem supplevit Boeckhius. Quare his quoque nihil videtur negotii fuisse cum ephebis; quumque iis qui in gymnasiis exercebantur, iam gymnasiarchi praefecti essent, mihi veri simillimum videtur, his curatoribus ipsorum aedificiorum restituendorum et servandorum potius curam mandatam fuisse. Idem munus fortasse indicatur vocabulo **ἐπιστάτης τῆς Ἀκαδημίας** apud Hyperidem in Demosth. frgm. 20 ed. Sauppe.

Denique **Φιλ. Γ** p. 351 **γυμνασιαρχήσας καὶ σκηναρχήσας** legitur. Cuius nominis vis prorsus obscura est.

2. Iam dicam de *agonothetis*, quorum officium erat ut certamina cum deorum festis coniuncta adornarent et victoribus praemia distribuerent. Quod munus antiquo tempore non commemorantur, nisi quod et nomine et munere similes sunt athlothetae, qui decem numero ex populo quarto quoque anno creati Panathenaeorum certaminibus praesidebant (Meier allgem. Encykl. Ant. Panathenaeen p. 286 [2])) **Ἀγωνοθέτης** vero vox apud antiquos saepe quidem invenitur ita ut eum significet, qui ludos aliquos instituit; sed quum in plerisque sacris haec cura aliis magistratibus tradita esset (velut Dionysiorum archonti eponymo), proprium munus illo nomine significatum esse non videtur. Id primum quantum scio commemoratur **Φιλ. Δ** p. 134 v. 53 sqq., ibique significat vox ut videtur magistratum annuum a populo **χειροτονίᾳ** electum

---

2) Accuratius igitur et verius mihi dici videtur, eos numero, nomine et tempore magis, quam muneris ipsius natura ab agonothetis diversos esse, quam, ut P. Faber agonistica I. p. 65 sqq. Ahrens p. 57, plane eosdem esse. Nunquam enim quantum scio praeter Panathenaea ἀθλοθέται commemorantur, sed etiam in his posteriore tempore ἀγωνοθετῶν nomen in usu erat (C. I. Gr. 380). Id sane discrimen, quod Suidas et Hesych. s. v. ἀγωνοθέτης statuunt, ut hunc scenicos et musicos, athlothetam vero gymnicos ludos curasse dicant, nihili esse apparet.

non certo cuidam festo, sed omnibus ut videtur, quae aliis magistratibus non mandata sunt, sacrificiis et certaminibus adornandis [3]).

In posterioris temporis titulis denique agonothetae singulorum festorum, inprimis maximorum et splendidissimorum, ut Eleusiniorum magnorum (*Ἐφ. ἀρχ. περ. Β. ἀρ.* 181) Dionysiorum (*Φιλ. Δ* p. 90 sqq. 94) [4]) commemorantur; inprimis eae, quae ad epheborum res pertinent et imperatorum tempore compositae sunt, inscriptiones multos agonothetas sacrorum quum ipsis imperatoribus factorum, tum aliorum, ut Athenaeorum, Theseorum, Epiniciorum (omnia enumerabo cap. IV. §. 2 B) efferunt. Atque solent quidem hoc tempore singuli singulorum festorum agonothetae esse, saepe vero etiam duo (*Φιλ. Δ* p. 384. n. 40. 21. 518. v. 20. *B.* p. 430. v. 41. *Γ* p. 277. v. 24 sq. 278. v. 33) simul eo munere funguntur; C. I. Gr. 283 adeo omnes sophronistae una cum cosmeta Antinoëorum agonothetae sunt, et *Φιλ. Δ* p. 524 v. 40 vocabula *Γερμανίκεια οἱ ἔφηβοι* aliter intelligi nequeunt, nisi ut omnes ephebos simul agonothesiam suscepisse dicamus. Hi omnes iam propterea quod in titulis epheborum recensentur, ludorum gymnicorum agonothetae sunt; eodem modo vero etiam ad musica certamina agonothesiae munus spectasse docet titulus C. I. Gr. 200 *Φιλ. Δ* p. 94. Illorum vero quae fuerint munera accuratissime cognoscimus ex titulis *Φιλ. Β* p. 132 sqq. *Γ* p. 150 sqq., ubi homines quidam propter bene gestam Theseorum agonothesiam laudantur, qui dicuntur pompam, sacrificium, lampada, certamina gymnica instituisse, deinde praemia et iis qui vicissent ipsis et tribubus victricibus parasse, praeterea ad sumptum totius festi tolerandum senatui dedisse drachmas mille ducentas, prytanibus centum ad sacra facienda, ita ut secundum priorem inscriptionem tria milia trecentas nonaginta drachmas agonotheta ex re familiari impenderit [5]).

---

3) „*καὶ ἀγωνοθέτης χειροτονηθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου ἐπὶ Νικίου ἄρχοντος ἐπιμελήθη τῶν τε θυσιῶν ὅπως ἂν συντελεσ[θῶσ]ι πᾶσαι κατὰ τὰ πάτρια καὶ οἱ ἀγῶνες ὡς κάλλιστοι [γένωνται]*.

4) p. 94 idem est atque archon eponymus, p. 90 ab eo diversus.

5) *Φιλ. Γ* p. 150 sqq. quanquam ea quae antecedunt plane ad verbum eadem sint atque illic, tamen summa impensarum duo milia sexcentas nonaginta drachmas effecisse dicitur.

Praeterea in uno titulo (Ἀρχ. ἐφήμ. περ. *B* ἀρ. 199. v. 59. 90) duo agonothetae etiam omnibus ephebis et magistris epulas parasse dicuntur. Et in his sumptibus gravissimam partem agonothesiae positam fuisse intelligitur ex eodem titulo, ubi quum ex pecuniis iis, quae dicebantur σεβαστοφορικά, sumptus Athenaeis celebrandis factus esset (v. 46), in catalogo agonothetarum non comparet agonotheta Athenaeorum, sed eius loco vocabula „Ἀθήναια· ἐκ τῶν σεβαστοφορικῶν" leguntur (v. 85). Itaque quum supra viderimus omnes ephebos simul eiusdem festi agonothetas fuisse, id quomodo intelligendum sit apparet. Etiam hoc vero munus posteriore tempore ephebis mandari solebat, ut Φιλ. *A* p. 384. n. 4 omnium agonothetarum praeter cosmetam nomina in catalogo epheborum quoque inveniuntur (cf. praeterea ibid. p. 518. 522. *Γ* p. 277).

3. Complura igitur munera posteriore tempore ab ephebis administrata esse vidimus, gymnasiarchiam, agonothesiam; accedit systremmatarcharum munus; sed restant nonnulla de quibus hic dicam.

Princeps epheborum (ἄρχων ἐφήβων Φιλ. *A* p. 381. 382. 523. *B* p. 428 [6])). Hic non tam videtur magistratus quidam fuisse, quam honoris atque dignitatis gradus, quo praestantissimus quisque et nobilissimus totius iuventutis ornaretur, id quod etiam indicare videntur vocabula τὸν ἑαυτῶν συνέφηβον καὶ ἀριστέα καὶ ἄρχοντα Φιλ. *A* p. 381.

Sacerdos Antinoi (cf. c. IV. §. 2 B.)

Denique Φιλ. *B* p. 428 ἡνίοχος Παλλάδος ex ephebis est, quod munus sine dubio pertinet ad pompam quandam sollennem, ubi deae simulacrum curru vehebatur.

Ceterum haec omnia munera per exiguum nobilissimorum quorunque invenum numerum distributa erant. Primum adscriptitii, quantum ego observavi, prorsus ab iis exclusi erant. Deinde etiam ex civibus Atticis nobilissimis potissimum

6) Etiam Φιλ. *Γ* p. 444. v. 5 suspicor ἄρχων ἐφήβων scriptum aut certe scribendum fuisse in lapide. Nam sequitur unius ephebi nomen, eiusque nobilissimi (est enim filius eponymi archontis); quod excipiunt nomina magistratuum interque ea talium qui ephebi nunquam fuerunt, ut anticosmeta et sophronistae; quare ἔφηβοι, quod Cumanudes edidit, aut ipsius aut, id quod mihi verisimilius est, lapicidae errore natum videtur.

aditum ad ea patuisse iam Cumanudes *Φιλ. B* p. 491 inde collegit, quod in illo titulo omnes qui eiusmodi muneribus funguntur nominibus gentilibus Romanis praediti sunt. Eodem spectat, quod persaepe complura munera in eosdem homines cumulantur. Itaque princeps epheborum semper simul gymnasiarchus et agonotheta est, nonnunquam (*Φιλ. Δ* p. 523. *B* p. 428) aut omnes aut plerique gymnasiarchi et agonothetae iidem sunt, *Φιλ. Γ* p. 553 adeo etiam systremmatarcharum munera illis accedunt[4]); quo fit ut *Φιλ. B* p. 428 duo homines, quorum alter Calpurnius Proclus cosmetae filius est, quaternis muneribus simul fungantur. Qui mos quanquam fortasse iniquissimus videbitur, tamen ex iis quae supra de agonothesiae sumptibus attuli facile intelligitur paucos tantum ex ephebis talia munera sustinere potuisse.

Denique munus, cuius natura plane obscura est, nisi quod τάξεως alicuius praefectum fuisse scimus, *Ἀρχ. ἐφ. περ. B. ἀρ.* 107 significatur vocabulo ὑβοτάκτης; hoc Graecum non esse quum intelligeret editor Rhusopulos, ἡβοτάκτῃ corrigendum dixit, quod etiam mihi in re obscurissima veri simillimum videtur.

Omnia quae in titulis Atticis non inveniuntur omisi, quia aut ad alias civitates pertinere, ut ἐφήβαρχος (idem qui γυμνασίαρχος), παλαιστροφύλαξ, alia, aut omnino certum munus significare non videntur (cf. §. 3).

CAPUT TERTIUM.

DE ERUDITIONE ET EXERCITATIONE EPHEBORUM.

§. 1.

De gymnasiis.

Si quis de corporis atque animi cultu et de omni eruditionis genere apud Graecos, inprimis recentioris aevi, dicturus est, gymnasiorum ante omnia ratio habenda est, quippe in quibus fere omnia quae eo pertinerent, acta sint, exercitationes gymnasticae et militares pariter ac philoso-

4) In epheborum catalogis ii qui eiusmodi munera gerunt semper in sua quisque tribu primo inter commilitones loco recensentur.

phorum aliorumque hominum doctorum scholae. Atque Athenis quidem antiquo tempore tria fuere gymnasia, Academia, Lyceum, Cynosarges [1]). Quamquam horum gymnasiorum cuique certam partem civium attributam fuisse ex rei natura veri simile sit, tamen de ea re nihil traditur, praeterquam quod usque ad Themistoclis tempus in Cynosarge exercebantur *νόθοι* (Plut. Them. c. 1). Postea vero, quum nova accessissent gymnasia, cives ex aetatis differentia singulis gymnasiis attributi esse videntur, ita ut in aliis viri, in aliis ephebi, in aliis *ἀγένειοι* exercerentur. Quum enim eo iam id ducere videatur, quod *Φιλ. Γ* p. 154 v. 67 *τῶν νεα]νίσκων οἱ ἐκ Λυκείου* ita commemorantur ut ab ephebis eos diversos esse necesse sit, ideoque ab ephebis Lyceum alienum fuisse videatur, tamen gravius id est argumentum, quod in epheborum titulis duo sola commemorantur gymnasia ita ut ephebos ibi exercitatos esse appareat, Ptolemaeum et Diogeneum [2]).

Ptolemaeum Pausanias I, 17, 2 prope forum situm fuisse dicit, haud procul a templo Thesei; quare etiam Plut. Theseus c. 36, ubi de Theseo dicitur *κεῖται μὲν ἐν μέσῃ τῇ πόλει παρὰ τὸ νῦν γυμνάσιον*, ad hoc potissimum gymnasium referenda videntur. Atqui mediae fere inter propylaeum novi fori et Theseum parietinae quaedam inventae sunt, quarum locum optime cum illa Pausaniae descriptione convenire vidit Leakius Topogr. p. 188, et duo alia insuper adiecit argumenta, gravissima, ut mihi videtur, quibus eas re vera reliquias illius gymnasii esse demonstratur; scilicet inventam esse ibi subscriptionem statuae alicuius Ptolemaei Iubae filii, quum ipsius Iubae statuam in Ptolemaeo fuisse Pausanias l. l. testetur, deinde vero etiam structuram murorum eam esse, quae Ptolemaeorum potissimum tempore in usu fuerit. Atque quantum quidem ex Cumanudis descriptione (*Φιλ. Δ*

1) Haec sola etiam Suidas s. v. *γυμνάσιον* novit, ut plerumque in his rebus apud lexicographos ea sola inveniuntur, quae ad antiquum liberae reipublicae tempus pertineant.

2) Huic sententiae contrarium non est quod ephebi inscr. 2 v. 19 sqq. scholis philosophorum in Lyceo et Academia habitis interfuisse dicuntur. Nam haec de Academicis et Peripateticis, qui omnino semper in illis gymnasiis docebant, intelligenda sunt.

p. 40 sq.)[3]) iudicare licet hic idem locus est, ubi plebiscita ab eo in Philistore edita inventa sunt. Quod si ita est, sine dubio Cumanudis sententiae accedendum est, qui et ipse illos titulos, quippe quae ad epheborum res pertinerent, in Ptolemaeo collocatos esse vult[4]). A quonam Ptolemaeo autem conditum sit, nusquam quidem traditur, sed quicunque de eo dixerunt homines docti verisimillimum duxerunt, a Ptolemaeo Philadelpho dono datum esse Atheniensibus, cuius in honorem et beneficiorum gratiam etiam Ptolemais tribus et Ptolemaeorum sacra (inscr. 3 v. 99. *Φιλ. Γ* p. 152 v. 34) instituta sunt.

In hoc gymnasio iam altero ante Chr. n. saeculo bibliothecam fuisse ex titulo nuper reperto *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 25 cognovimus, eamque epheborum usui potissimum destinatam fuisse inde colligere licet, quod ephebi quotannis in eam ex populiscito centum libros inferebant (*Φιλ.* inscr. 5 v. 7. Lebas I n. 531 init.). Praeterea philosophorum scholis in Ptolemaeo habitis intersunt ephebi (inscr. 2 v. 19); quas etiam posteriore tempore ibi haberi solitas esse testatur Cic. de finn. V, 1, 1. Qua de causa etiam Chrysippi Stoici statua ibi erat (Paus. l. l.).

Ceterum imperatorum aetate non iam commemoratur hoc gymnasium in inscriptionibus epheborum.

Multo saepius alterius gymnasii, *Diogenei*, mentio fit in titulis, ac tamen de origine et situ eius multo minus certa scimus. Id solum dicendum est, conditum esse non posse

3) *„Πρὸς δυσμὰς τοῦ τετραχιονίου τῆς Ἀθηνᾶς Ἀρχηγέτιδος ἤτοι τῆς κοινῶς λεγομένης πύλης τῆς ἀγορᾶς.“*

4) Iam ipse dixit, in titulis nihil de hac re inesse, sed simpliciter iuberi *στῆσαι ἐν ἀγορᾷ*. Tamen utrumque ita inter se conciliare studet, ut dicat quum prope forum fuerit illud gymnasium, vocabulis *στῆσαι ἐν ἀγορᾷ* id indicari, quod accuratius diceretur *στῆσαι ἐν Πτολεμαίῳ*. Imo ex uno quidem titulo 2 v. 48. 97 videmus duo eiusdam tituli exemplaria confecta esse, quorum alterum erigeretur in foro, alterum *οὗ ἂν ἐπιτήδειον εἶναι φαίνηται.*. Hanc alteram fuisse puto, quae in Ptolemaeo posita est inscriptio. Nam titulum honores epheborum efferentem ubi magis *ἐπιτήδειον* erat erigere quam in gymnasio epheborum? Similiter decreti *Φιλ. Β* p. 238, quod est de iis quae ephebis agenda sint in Eleusiniorum festo, Athenis duo exemplaria eriguntur, alterum in Eleusinio, alterum in Diogeneo.

a Diogene statuario et architecto, qui Augusti tempore vixit, ut voluerat Schoemannus (Gr. Alterth. I p. 508), quum iam in plebiscitis alterius a. Chr. saeculi commemoretur. Contra mihi dubium non esse videtur, a Diogene illo, qui in eisdem titulis *εὐεργέτης* dicitur, cuique Diogeneorum festum celebrabatur (*ἔθυσαν τῷ εὐεργέτῃ Διογένει* inscr. 1 v. 14. *Διογένεια* inscr. 2, 37 (?) 3, 24. *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 14) conditum esse, ita ut illud festum epheborum proprium fuisse putaverim, quo homini de ipsis gymnasio condito optime merenti gratias referrent. Quibus omnibus tamen nihil lucramur, quum ille ipse quis fuerit prorsus obscurum sit.

Summa huius gymnasii cura penes cosmetam erat. (*Φιλ. Δ* p. 85); cuius curae exemplum splendidissimum nobis ostendit inscr. 1, 41, ubi peribolus Diogenei a cosmeta ipsius impensis restitutus esse dicitur. Praeterea vero etiam peculiaris huius gymnasii praefectus erat, qui inter magistros recenseri solet et postremo tempore pariter atque illi munere per vitae tempus fungitur; quod munus significatur vocabulis *ὁ ἐπὶ τοῦ Διογενείου* (*Φιλ. Δ* p. 384. 521 v. 95. 528. *B* p. 430. *Γ* p. 357) [5]. Praeter hunc etiam alter accedit *ἐπὶ Διογενείου κεστροφύλαξ*. *Φιλ. Γ* p. 555, qui ministri locum tenuisse videtur.

In hoc gymnasio potissimum exercitationes gymnasticae factae esse videntur; imperatorum vero Romanorum tempore certe etiam scholas quasdam non quidem philosophorum sed aliorum hominum doctorum habitas esse demonstrat Plut. quaestt. sympp. IX, 1, 1, ubi Curtius *ἐν τῷ Διογενείῳ* scribendum esse docuit (v. cap. II §. 1, 2).

§. 2.

De literarum studiis.

Magnopere dolendum est, quod de iis, quae publica

5) Alia videtur ratio esse formulae *οἱ περὶ τὸ Διογένειον* (C. J. Gr. 427 al.). Nam quum semper plurali numero dicatur, etiam ubi in eodem titulo unus tantum *ἐπὶ τοῦ Διογενείου* recensetur (*Φιλ. B* p. 430), quumque *Ἀρχ. ἐφ. περ. B ἀρ.* 199 bis (v. 61. 92) scriptum sit *τοὺς ἐφήβους καὶ τοὺς περὶ τὸ Διογένειον πάντας*, hoc nomine omnes magistros rei gymnasticae qui in Diogeneo iuvenes instituebant, fortasse etiam gymnasiarchos aliosque id genus comprehendi puto.

auctoritate instituta erant ad animos iuvenum cognitione bonarum artium imbuendos, fere nihil ad nostra tempora pervenit. Nam quamvis iam antea viderimus, literarum non ut gymnastices et armorum doctores publice institutos fuisse, tamen summam harum rerum curam populus eiusque magistratus habuerunt. Docent enim plebiscita, lege praescriptum fuisse et a cosmeta diligentissime observatum esse, ut ephebi diligenter interessent scholis. Atque inprimis, ut consentaneum est, *philosophorum* scholae commemorantur (velut inscr. 3 v. 34). Accuratius autem de iis uno tantum loco dicitur, 2 v. 19 (cf. etiam v. 63), ubi ex eis philosophis quos audiverint nominatim effertur Zenodotus quidam. Quem Cumanudes quum Diogenis Babylonii successorem Stoicum (Diog. Laert. VII, 1, 26) fuisse coniecisset, statim ab ea sententia recessit, quippe quae a tempore titulorum abhorreret. Quod tamen non ita est, quum titulos altero saeculo a. Ch. compositos esse viderimus, Diogenes vero ille anno 156 a. Chr. cum Critolao et Carneade Romam legatus profectus sit ita ut altera illius saeculi parte discipulum et successorem eius Athenis docuisse minime mirum sit [1]). Etiam ea quae adduntur vocabula *ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις φιλοσόφοις ἅπασι τοῖς τε ἐν Λυκείῳ καὶ ἐν Ἀκαδημίᾳ* haud negligenda sunt. Nam si haec cum illis composuerimus, intelligemus praeter Stoicos etiam veteres Academicorum et Peripateticorum sectas eo tempore iuvenum ingeniis et moribus excolendis aptas visas esse, Epicureorum vero doctrinam, ut minus idoneam, prorsus neglectam esse.

Imperatorum denique tempore institutae sunt scholae, in quibus praeceptores mercede conducti philosophiam et elo-

1) Antea Cumanudis sententiae accedere dubitabam, quum ex eo quod praeter Ptolemaeum etiam in Lyceo docet Zenodotus, intelligere mihi viderer de Peripatetico aliquo sermonem esse. Tamen hoc nescio quo casu factum esse potest neque propterea amplius dubitandum puto, praesertim quum alius huius nominis philosophus non commemoretur praeter Procli Neoplatonici successorem (Zeller Griech. Philos. III. p. 954) quem hic in censum non venire patet. Quod vero in Ptolemaeo docuit ille Zenodotus, id non tantum epheborum gratia factum esse, sed omnino philosophos Stoicos ibi scholas habere consuevisse fortasse inde coniicere licet, quod Chrysippi statua ibi posita erat.

quentiam docebant (Ahrens p. 65 sqq.). His vero, quantum ex iis quae nobis servata sunt testimoniis iudicare licet, nulla omnino cum epheborum institutis ratio intercessit.

Praeter philosophiam etiam aliorum *μαθημάτων* mentio fit in titulis (1, 37. 2, 18). Tamen quaenam haec fuerint, accuratius indicatum non est praeter admodum pauca, velut C. I. Gr. 117 (= Rang. 778) *ταῖς τε τῶν φιλοσόφων καὶ ῥητόρων [σχολαῖς παρακαθίζων. Φιλ.* inscr. 2 v. 64 *ὁμοίως [δὲ καὶ τῆς ἐν τοῖς γ]ράμμασιν .... ἐφρόν]τισε* (simile aliquid etiam Rangabé n. 993 a scriptum fuisse videtur, ubi nunc quidem solum vocabulum *γρά]μματα* superest). Quae testimonia optime supplentur Plutarchi loco eo, de quo iam saepius dixi (quaestt. symp. IX, 1, 1) ubi *γράμματα καὶ γεωμετρίαν καὶ τὰ ῥητορικὰ καὶ μουσικὴν* didicisse dicuntur. Praeterea vero etiam id in Plutarchi loco memorabile est, quod ibi de Ammonio stratego dicitur *ἀπόδειξιν ἔλαβε τῶν — μανθανόντων ἐφήβων*, quod indicat non tantum, ut philosophos, scholas habuisse illarum artium magistros, sed etiam interrogando quid illi profecerint explorasse.

§. 3.

De corporis exercitatione.

De rebus gymnasticis, quae proprie dicuntur, quum notissimae sint et omnium aetatum fere eaedem [1]), quumque consilium meum esse non possit, ut hic de arte gymnastica Graecorum in universum disseram, nihil amplius dicendum puto.

Praeter artem gymnasticam vero etiam armorum usum discebant; et in hoc quidem, ut ex magistrorum nominibus supra compositis videmus, quattuor genera discernenda sunt, *ὁπλομαχία, τόξον, ἀκόντιον, καταπάλτης.* Atque memorabile est, illa tria etiam apud Platonem (de legg. VII, 794 C) tan-

---

1) Nam quod Petersen d. Gymnasium der Griechen p. 4 dicit, pugilatum (*πυγμὴν*) a iuvenibus non exercitum esse id ad nonnullas tantum civitates pertinet, velut Lacedaemonios (Haase ad Xen. de rep. Lac. p. 107). De Athenis certe id non valere praeter alia *Φιλ. B* p. 134, v. 47—55. *Γ* p. 155 v. 60—68 ubi pariter omnes quattuor aetatum ordines hoc certaminis genere contendunt.

quam iuvenum corporibus exercendis praecipue apta commendari, quibus ille quartam addit fundam, quae in titulis non commemoratur. Eo vero tempore, quo tituli nostri compositi sunt, omnino per totam fere Graeciam illa potissimum quattuor genera in usu fuisse tituli insularum Cei (C. I. Gr. 2360) et Sami (Monatsberichte der Akademie zu Berlin 1859 p. 739 sqq. 1862. Heft 2) indicant.

Ac si quidem ad singula accedimus, pilorum (*ἀκοντίων*) iaculatio quum iam apud Homerum in ludis sepulcralibus Patrocli (Il. *Ψ*, 884 sqq.) commemoretur, deinde per omne tempus et in gymnasiis a iuventute exercebatur et in ludis solennibus, ubi, ut notum est, pentathli partem efficiebat (Krause I p. 465 sqq.). Sed, posteriore aetate certe, etiam solo *ἀκοντίῳ* certatum esse in ludis *Φιλ. Β*, p. 137 v. 77 *ἀκοντίζων ἐκ τῶν ἐφήβων* 139 v. 93 *ἀκόντιον ἐκ πάντων* docent.

Contra sagittis mittendis heroës quidem apud Homerum certant (Il. *Ψ*, 859 sqq.). Sed postea et in instituendis iuvenibus et in certaminibus earum usus prorsus omissus esse videtur (Krause I p. 599. 606; etiam in bello Graecos praeter Cretenses iis usos non esse Pausanias I, 23, 4 refert). Postea vero rursus receptus est.

Fere idem valet de hoplomachia. Nam etiam armorum certamen in illis ludis sepulcralibus fit (*Ψ*, 802 sqq.) quum postea eiusmodi certamina a more Graecorum aliena videantur. In iuvenum educationem vero haec exercitia primum introducta sunt Socratis tempore (Plat. Laches init. Gorgias 456 D) a sophistis potissimum, ut videtur, quorum duo, Euthydemus et Dionysodorus fratres mercede hanc artem docuerunt (Plat. Euthyd. 271 D) exstiteruntque inde ab eo tempore homines, qui eam artem profiterentur (*ὁπλομάχοι* [2])) sed et alibi a multis contemnebantur tanquam rerum bellicarum minus periti, et Lacedaemonii omnino hanc artem ad se non admiserunt, quippe qui usu, non doctrina rem bellicam discendam putarent. (Plat. Laches 182 E). Longe aliter vero postea res se habebat. Tum enim vel

2) De hoc hominum genere F. Haasius ad Xen. de rep. Laced. p. 218 accuratissime exposuit.

publice ad docendos ephebos talem hoplomachum constitutum esse ex titulis vidimus, id quod iam Plato legg. VIII p. 804 D suaserat. Tum etiam, id quod ab Homero inde non iam factum erat, rursus in ludis sollemnibus certamina armorum haberi coepta sunt.

Atque fuerunt quidem hoplomachiae duae tanquam partes; primum enim in ipsorum armorum usu instituebant, id quod non ad bellicas tantum res, sed etiam ad certamina sollemnia spectabat. Atque in his quidem ludis non ephebi soli, sed omnino omnium aetatum homines armis certabant, ut ex catalogo eorum qui in Theseorum ludis vicerant (*Φιλ. B* p. 137 [3]) videmus. Quorum certaminum duplex erat genus, alterum *τῶν ὁπλομάχων ἐν ἀσπιδίῳ καὶ δόρατι*, alterum *ἐν θυρεῷ καὶ μαχαίρᾳ* (l. l. v. 67—77). Et hoc quoque discrimen in titulis Samiorum, quos supra commemoravi, invenitur ibique vocabulis *ὁπλομαχία* et *θυρεομαχία* indicatur. Altera pars eorum, quae hoplomachi docebant, in rebus tacticis posita erat. Iam antiqui illi sophistae, qui primi hoplomachi extiterunt, belli quoque gerendi et rerum tacticarum doctrinam tradebant (Haase l. l.), et auctor Axiochi Platonici quum (366 E) inter iuvenum doctores etiam tacticos recenseat sine dubio hoplomachos intelligit [4]). In hac vero arte quid profecissent iuvenes ostendere solebant illis *ἀποδείξεσιν ἐν τοῖς ὅπλοις καὶ περὶ τὰ τακτικά* (hoc ipsum enim additur inscr. 1 v. 40. 4, 60). Quae ita institutae fuisse videntur, ut iuvenes tanquam in duos exercitus discederent et pugnas inter se committerent; quae res et ipsa iam a Platone indicatur legg. VIII, 829 B *„ὅπως ἂν γίγνωνται μάχαι τινὲς ἑορτασικαί, μιμούμεναι τὰς πολεμικὰς ὅτι μάλιστα ἐναργῶς μάχας.“*

Recentissimum ex illis exercitationum generibus id est, quod in catapultis torquendis versatur; quod inde a tempore successorum Alexandri magni demum in usum ve-

---

3) Mirum est quod in titulo *Φιλ. Γ* p. 150 sq., qui in plerisque cum illo consentit, haec armatorum certamina non recensentur.

4) Etiam in tacticis rebus publica auctoritate erudiri iuvenes iam Plato iusserat de legg. VII, 813 E. Omnino id, quod ille in libris de legibus secutus erat, ut puerorum et iuvenum eruditionem reipublicae ipsius curae traderet, quod ipsius tempore ab Atheniensium certe institutis alienum erat, postea aliquatenus re vera effectum est.

nisse potest, quippe quo tempore artes urbes defendendi et oppugnandi praecipue excultae sint. Illarum exercitationum vero praeter nomen magistri mentio non fit in titulis, excepto uno loco inscr. 2, 34 ubi ephebi catapultam vetustate debilitatam, quae iis exercitiis inserviebat, suis impensis reficiendam curasse dicuntur.

Postea accessisse videtur his novum teli genus, cestrus (de quo v. cap. II §. 3 not 6), id quod et ex nomine κεστροφύλαξ et inde apparet, quod Φιλ. Γ p. 60 ephebi κεστροφάροι dicuntur.

Denique etiam in equitandi arte ephebos institutos esse videmus ex C. I. Gr. 117 (Rang. 778), ubi de cosmeta dicitur τῆς ἐν ὅ]πλοις καὶ ἱππικῆς ἀσκήσεως πολὺ φροντίσ[ας, et Ἐφ. ἀρχ. 4044, ubi supersunt verba τῆς ἐν τοῖς ἱππικοῖ[ς.

CAPUT QUARTUM.

DE OFFICIIS PUBLICIS EPHEBORUM.

§. 1.

De militia et quibusdam aliis officiis.

Iam vidimus, eam quae antea longe gravissima erat, militarem vim atque naturam ephebiae, quod quidem attinet ad externam speciem, etiamtum mansisse. Itaque, quamquam vox περίπολος quantum ego scio nusquam in titulis reperitur, res tamen ipsa persaepe commemoratur, quum ephebi laudentur, quod in terrae fines profecti sint ibique castella occupaverint (inscr. 1, 15. 2, 24. 66. 3, 22. 4, 19) et in inscriptione 2 v. 55 etiam additur, hoc fieri ut cives ad bella gerenda bene exerceantur. Tamen iam ex tempore, per quod hae exercitationes durasse videntur colligere licet, de vera et utili rerum bellicarum exercitatione cogitari non posse. Nam, quum antea totus secundus ephebiae annus in hac militia consumptus esset, nunc nonnulla tantum itinera in terrae fines fecisse videntur (id quod indicant vocabula ἐξῆλθον δὲ πλεονάκις) duce cosmeta; quae itinera satis brevi tempore absoluta esse inde patet, quod maximam partem anni ephebos Athenis adfuisse ex iis quae de ludis, certaminibus, scholis dicuntur, quibus interfuerint, cognoscimus.

Simul in iis itineribus etiam sacra in delubris per fines terrae facta esse refertur inscr. 2, 25. 67.

Sed illa aetate, de qua hic agimus, non statim post ephebiae annum finitum militiam extra terrae fines coepisse, sed etiamtum officia quaedam militaria peripolorum muneri satis similia durasse indicat locus Teletis, quem iam attuli, ap. Stob. flor. 98, 72: *ἐξ ἐφήβων ἐστὶν καὶ ἤδη εἴκοσι ἐτῶν· ἔτι φοβεῖται καὶ παρατηρεῖ καὶ ταξίαρχον* (corr. Valckenaer; libri *γυμνασίαρχον*) *καὶ στρατηγόν· παρακοιτεῖν ὅπου δεῖ, οὗτοι παρακοιτοῦσι· φυλάττειν καὶ ἀγρυπνεῖν, οὗτοι φυλάττουσιν· εἰς τὰ πλοῖα ἐμβαίνειν, οὗτοι ἐμβαίνουσι.* His demum subiicit: *ἀνὴρ γέγονε καὶ ἀκμάζει, στρατεύεται κτλ.*

2. Iam supra tetigi eum morem, ex quo ephebi armati et palliis nigris vestiti circumsedebant comitia, qui mos et in titulis (1, 22. 2, 20. 76. 3, 35. 4, 20 [1])) et apud Philostratum vitae soph. II, 1, 5 commemoratur.

Minus perspicua sunt quae de alio more dicuntur. In omnibus enim plebiscitis scriptum est *ἀπήντησαν δὲ καὶ τοῖς φίλοις καὶ συμμάχοις τοῦ δήμου Ῥωμαίοις* vel simile aliquid; quae, inprimis collatis quae 2 v. 75 de cosmeta dicuntur . . . *σ]υμμάχοις Ῥωμαίοις ἐποιήσατο τὰς ἀπαντήσεις,* aliter intelligi nequeunt, quam ut eos quotannis instructo agmine et duce cosmeta Romanis quibusdam obviam processisse eosque salutasse dicamus. Sed qui fuerunt illi Romani? Poterit aliquis cogitare de iuvenibus illis qui Athenas veniebant ut in epheborum numerum reciperentur. Sed hoc propter inprimis mihi statuendum non videtur, quia in illa re non *φίλοι* et *σύμμαχοι* modo, sed etiam *εὐεργέται* dicuntur Romani (inscr. 2 v. 21. 3 v. 15.) quod etiam pro illius temporis ingenio nimium adulationis esset. Mihi potius ex illo vocabulo *εὐεργέται*, quod proprie ad ipsam rempublicam Romanam referendum est, apparere videtur hic de hominibus publica auctoritate instructis, qui quodammodo populi ipsius

1) Etiam *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 21 coll. inscr. 4, 20 supplendum est *παρήδρευσαν δὲ κα[ὶ ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις ταῖς τε ἐν ἄστει καὶ ἐ]μ Πειραιεῖ*, ita ut iam Curtii sententia, qui locum aliquem ephebis instituendis destinatum in Piraeeo situm fuisse coniecit, hoc certo loco probari non possit.

vices agerent, cogitandum esse, velut de legatis aut magistratibus, qui modo hac modo illa de causa Athenas venerint.

§. 2.

De cultu deorum.

Omnium officiorum vero gravissima populo Atheniensium etiamtum *δεισιδαιμονίᾳ* insigni ea videbantur esse, quae in sacris faciendis et ludis in deorum honorem instituendis versabantur. Quae quum populus quam splendidissime et magnificentissime celebrare studeret, consentaneum fuit, iuvenes nobiles, flore aetatis et exercitatione corporum insignes primas in iis partes agere. Itaque in pompis sollemnibus incedere solebant, duce cosmeta, instructis ordinibus (*βαδείζοντας ἐν τάξει Φιλ. B* p. 238 v. 24) armati [1], nigris palliis amicti, coronis ornati (*ἐστεφανωμένους* l. l. v. 23). Primus Herodes Atticus instituit ut nigrarum vestium loco albas sumerent; cuius rei a Philostrato vit. soph. II, 1, 5 traditae novum testimonium nuper inventum est, titulus *Φιλ. B* p. 268, ex quo videmus non tantum plebiscitum quo ea res instituеretur, suasisse Herodem, sed etiam ipsa pallia dono dedisse (v. 10 *Ἡρώδης εἶπεν· ὦ [Ἀθηναῖοι, ἐμοῦ παρόντος χλαμύ]δων λευκῶν οὐκ ἀπορήσετε*). Illa vero pallia tam propria videntur fuisse epheborum insignia, ut C. I. Gr. 247 in titulo epitaphio ephebi *χλαῖναν περὶ αὐχένι θέσθαι* poetico modo dictum sit pro ephebum esse [2]). Armatos vero ephebos in pompis incessisse mirum non est, praesertim quum etiamtum militum loco habiti sint (velut *Φιλ. B* p. 238 v. 15 dicuntur *ἡ παραπέμπουσα στρατιά*), quumque in universum mos fuerit, ut pompae ab armatis hominibus ducerentur.

---

1) *ἐν ὅπλοις* saepe in titulis (1 v. 8. 3 v. 8. 9). Etiam *Φιλ. B* p. 238 v. 23 supersunt vocabula *τὴν πανοπλίαν.*

2) Ita explicat E. Curtius l. l. p. 324. 335, ut sententia sit, „vix inceperat ephebus esse, quum subita morte abriperetur.“ Quae sententia multo probabilior est quam Iacobsii, qui eum, quum oblitus esset pallium sibi induere, frigore morbum sibi conscivisse putat. Ceterum in eo cum Curtio non consentio, quod is iuvenem in certamine armorum occidisse dicit: nam ei sententiae vocabula *κώμῳ ἐν ἠγαθέῳ* convenire non videntur.

(Thuc. VI, 58. Lys. XIII, 80). Atque iam Plato legg. VII. 796 inprimis pueris iuvenibusque, priusquam in bellum proficiscerentur, eiusmodi pompas ducendas esse dixerat.

Cum pompis solebant coniuncta esse sacrificia, in quibus plerumque taurum immolant ephebi, quem ipsorum impensis paratum esse nonnunquam in titulis refertur (*ταῦρον ἐκ τῶν ἰδίων* Ἐφ. ἀρχ. 4042 v. 16). Praeterea quibusdam diis anathemata offeruntur, plerumque phialae argenteae centenarum drachmarum pretio.

Denique accedunt permulta certaminum genera, praeter gymnica etiam armorum (*ἀποδείξεις ἐν ὅπλοις* v. supra) et navium (*νεῶν ἅμιλλαι* vel *ναυμαχίαι*). Inprimis vero memorabile est, quod lampades epheborum praeter Panathenaea, Promethea, Hephaestia et Bendidea, quorum sacrorum antiquo tempore proprium fuisse hoc certaminis genus demonstravit Boeckhius de oec. publ. I p. 613, altero a. Chr. saeculo etiam in Theseorum, Epitaphiorum, Aeanteorum ludis, imperatorum vero Romanorum aetate etiam in Germaniceis factae sunt [3]). Etiam id illis titulis comprobatur, lampadas non epheborum proprias fuisse (Meier Allg. Encykl. Art. Panathenaeen p. 284) sed etiam ab aliarum aetatum hominibus exercitas esse (*Φιλ. B* p. 136 v. 60 „*τῇ λαμπάδι τῶν παίδων*"; *Γ* p. 154 v. 61. 67).

His praemissis iam componam hic omnia, quae de singulis sacris in titulis, quibus de epheborum rebus agitur, inveniuntur, et quantum fieri poterit illustrare conabor.

A. In plebiscitis alterius a. Ch. saeculi haec recensentur [4]).

1. Omnium titulorum initio commemoratur pompa quam ephebi duxerint *Dianae Agroterae*; quae fiebat sexto Boëdromionis die in memoriam pugnae Marathoniae (Hermann, gottesd. Alterth. §. 56, 5). In inscriptione prima additur

---

3) De Anthesteriorum lampade res admodum incerta est (cap. II §. 4 not. 4.)

4) Ordo singulorum sacrorum in omnibus his inscriptionibus fere idem est; tamen non videtur certa quadam ratione constitutus esse. Quamvis vero in universum ne temporis quidem ratio habita sit, tamen initio posita sunt ea, quae ipso ephebiae initio„ i. e. Boëdromione mense fiebant.

καὶ ἀνή[νε]γκαν τὰ ἀριστεῖα κατὰ τὸ ψήφισμα: praemia scilicet quae in certaminibus victores acceperant, quaeque omnino diis consecrare moris erat (velut C. I. Gr. 243. 250 al.) Memorabile vero esse videtur, quod inprimis ea festa ab ephebis celebrabantur, quibus eorum quae maiores in patria defendenda immortali gloria digna gesserant, memoria recolebatur, velut praeter hoc etiam Munychia, Aeantea eaque sacra quae in ipsis pugnarum Salaminiae et Marathoniae locis fiebant.

2. Proximo loco recensentur *Eleusinia* [5]). In quibus duae pompae in omnibus titulis commemorantur, quarum prior significatur vocabulis ἀπήντησαν (vel ὑπαπήντησαν, τὴν ὑπαπάντησιν ἐποιήσαντο) τοῖς ἱεροῖς ἐν ὅπλοις καὶ προέπεμψαν αὐτὰ (1, 7. 2, 9. 74. 3, 9. 4, 7. et idem fuit Ἐφ. ἀρχ. 4041 v. 659) [6]). Apparet haec de pompa aliqua Eleusine Athenas ducta dici, cui ephebi obviam processerint. Atque de eadem pompa sine dubio intelligenda sunt, quae Philostratus vitae soph. II, 20 extr. dicit ὄνομα μὲν δὴ τῷ προαστείῳ ἱερὰ συκῆ· τὰ δ' Ἐλευσινόθεν ἱερὰ ἐπειδὰν εἰς ἄστυ ἄγωσιν, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν. Praeterea in titulo 1 additur μέχρι τῆς Ἠχοῦς obviam ivisse ephebos, quae sine dubio ad locum in sacra via situm neque aliunde notum pertinent. In titulo Φιλ. B p. 238 ad hanc pompam referenda esse videntur vocabula v. 9 με]τὰ τοῦ εἰθισμένου σχήμα[τος; nam de pompa haec intelligenda esse ea demonstrant, quae leguntur v. 17 sq. ἄγειν τοὺς ἐφήβους Ἐλευσεῖνάδε μετὰ τοῦ αὐτοῦ σχήματος, quibus ad illa verba respici patet. Quum vero illis vocabulis et antecedat temporis quaedam definitio v. 8 „τῇ τρίτῃ ἐπὶ δέκα" et subsequatur alia v. 10 „τῇ τετράδι ἐπὶ δέκα," nexus autem sententiarum propter mutilam tituli condicionem restitui nequeat, utro ex his diebus facta sit illa pompa, non liquet, sed alterutri eorum adscribendam esse certum est. Quare non potest amplius initium Eleusiniorum ad quintumdecimum

5) Quaenam fuerint epheborum partes in his sacris celebrandis praeter plebiscita illa etiam ex decreto gentis Eumolpidarum Φιλ. B p. 238 intelligimus, quanquam prior eius pars, ad hanc rem cognoscendam longe gravissima non superest nisi misere lacera.

6) ἡ ἅμα ἱεροῖς πομπή C. I. Gr. 118.

Boëdromionis diem referri (Preller, die Zeit der attischen Eleusinien in Ztschr. f. Alterth.-W. 1835 p. 1001).

Altera pompa celeberrima illa Iacchi est, qui Athenis Eleusina educebatur; de qua plebiscita quidem illa nihil continent nisi vocabula καὶ τὸν Ἴακχον ὡσαύτως (scil. προέπεμψαν). At in titulo Φιλ. Α p. 238 admodum memorabilia de ea referuntur. Quum enim verba v. 16 sqq. „τῇ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος προς .... τῷ κοσμητῇ τῶν ἐφήβων ἄγειν τοὺς ἐφήβους ... Ἐ]λευσεῖνάδε sqq. ad eam pompam referantur necesse sit[7]), omnium qui de his sacris dixerunt sententia, quae in tanta de Eleusiniorum tempore dissensione una certa esse videbatur, Iacchum vicesimo Boedromionis die eductum esse, refutari videtur. Quanquam quomodo loci eiusmodi, qualis est Plut. V. Camilli c. 19 περὶ αὐτὴν τὴν εἰκάδα τοῦ Βοηδρομιῶνος, ᾗ τὸν μυστικὸν Ἴακχον ἐξάγουσι cum illis tituli verbis conciliari possint, non intelligo.

Deinde in magno illo sacrificio, quod fiebat in templo Eleusinio (ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ ἱεροῦ 3, 10 Ἐφ. ἀρχ. 4041 v. 8) id erat epheborum officium, ut cum tauris ad sacrificium destinatis pugnarent, donec eos domarent et ad aram adducerent; haec enim inesse in vocabulis ἤραντο τοὺς βοῦς ἐν Ἐλευσῖνι[8]) τῇ θυσίᾳ (1, 9. 2, 9 (cf. v. 78) 3, 10 Ἐφ. ἀρχ. 4041 v. 9) luculentissime demonstravit Curtius l. l. p. 336 adhibito Artemidori loco Oneirocritt. I p. 12, qui de talibus iuvenum Atheniensium ludis dicit. Praeterea vero ipsi quoque ephebi ceciderunt deae duas vaccas (βοῦς τροφίας δύο 3, 16; aliis locis magis in universum dicitur καὶ αὐτοὶ ἐβουθύτησαν). Denique Cereri et Proserpinae phialam argenteam consecrabant (2, 24. 3, 29. 5, 7. Ἐφ. ἀρχ. 4041, 17).

Etiam gymnici certaminis quod ibi fiebat haut expertes fuisse ephebos et per se verisimile est et titulo C. I. Gr. 271: σωφρονιστὴς Ἀθήναιος Σπένδοντος Ἐλευσείνιος τοῖς ἐφήβοις τὸν Ἡρακλέα ἀπὸ τῆς ἐν Ἐλευσεῖνι νείκης comprobatur.

7) Nam nemo statuere volet, duobus diebus qui se exceperint ephebos duas pompas Athenis Eleusina duxisse: omnino praeter illam de qua antea dixi et hanc Iacchi pompam nulla fuisse videtur, quum ante hanc Athenis, post eam Eleusine sacra fierent (Preller l. l. p. 1005.)

8) Solus titulus 1 exhibet εἰς Ἐλευσῖνα, quae praepositio huic loco apta non videtur.

Proërosiis item istiusmodi pugnas cum tauris committebant ephebi in eodem templo Eleusinio (3, 28. 2, 9. Ἐφ. 4041 v. 16).

3. De *Oschophoriis* intelligenda sunt quae leguntur in titulis quibusdam [9]) συνεξήγαγον δὲ τὴν Παλλάδα Φαληροῖ, κἀκεῖθεν πάλιν συνεισήγαγον μετὰ φωτὸς μετὰ πάσης εὐκοσμίας. Nam hoc die pompam a templo Bacchi in urbe sito ad fanum Minervae Sciradis Phalerum deductam esse scimus; ex nostris titulis praeterea videmus, etiam ipsius deae simulacrum eo delatum et sacris peractis noctu cum luminibus Athenas reportatum esse; in titulo 1. scriptum est συνεξ. τ. Π. μετὰ τῶν γεννητῶν: quibus quae fuerit cum illo festo necessitudo, explicare nequeo. In ipsis vero Oschophoriorum sacris, id quod in titulis non commemoratur, etiam cursu certabant ephebi singularum tribuum, ex quibus victor poculum cum potu ex vino oleo melle caseo farina mixto (πενταπλόα) praemio accipiebat (Meier Allg. Encycl. Sect. III vol. 6 p. 250).

4. Iam duo sequuntur in titulis Bacchi sacra, quorum de altero, Piraeis, mox dicemus, alterum vero (inscr. 2 v. 13. 3, 17. Ἐφ. ἀρχ. 4041, 11) solo nomine Διονύσια significatur. Quae ipsa res demonstrare mihi videtur, hoc nomen propria vi et quasi κατ' ἐξοχὴν intelligendum esse de *Dionysiis magnis*, praesertim quum opponatur Piraeorum nomini, quae tamen, si latiore significatione intelligas id nomen, ipsa etiam Dionysia sunt. Cum qua re bene concinunt quae de pompa dicuntur in titulis „εἰσήγαγον δὲ καὶ τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῆς ἐσχάρας εἰς τὸ θέατρον μετὰ φωτός." Nam Pausanias I, 29, 2 aedem antiquam et parvam in Ceramico sitam describit, in quam quotannis delatum sit Bacchi Eleutherensis imago. Ibi sine dubio erat illa ἐσχάρα, quam etiam Alciphron II, 3, 16 commemorat [10]). Apparet igitur non de eadem pompa

9) Ab inscr. 3 et Ἐφ. ἀρχ. 4041 absunt. Nam in hoc posteriore quidem titulo quae Curtius l. l. p. 336 ad Oschophoria pertinere dixit (v. 11) ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς Διονυσίοις, ea ceteris titulis collatis ego ad magna Dionysia potius refero.

10) Nam nunc quidem scriptura τὸν ἐπ' ἐσχάρας Διόνυσον titulorum testimoniis videtur confirmata esse, pro qua acute Meinekius coniecit τὸν ἐπ' ἐσχατιαῖς, Kayserus τὸν Ἐλευθερέα.

dici, quam Pausanias commemorat, sed de ea, qua sacris peractis rursus in urbem deferebatur simulacrum [11]). In theatrum vero relatum esse paulo minus quidem accurate dicitur; nam agitur sine dubio de eo Bacchi Eleutherensis simulacro, de quo Pausanias exponit I, 20, 2 his verbis: *τοῦ Διονύσου δέ ἐστι πρὸς τῷ θεάτρῳ τὸ ἀρχαιότατον ἱερόν· δύο δέ εἰσιν ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναοὶ καὶ Διόνυσοι, ὅ τε Ἐλευθερεὺς καὶ ὃν Ἀλκαμένης ἐποίησεν κτλ.*; quod antiquissimum dei delubrum Lenaeum est; sed tamen ex ipsius Pausaniae verbis apparet, in illa ratione dicendi minus accurata non esse offendendum.

Praeterea sacrificium tauri commemoratur, quod in ipsa illa *ἐσχάρᾳ* ante pompam factum esse demonstrat inscr. 1 v. 9 *εἰσήγαγον — θύσαντες τῷ θεῷ*, et phiala aurea deo dedicabatur.

Titulo primo subiuncta sunt duo plebiscita, quibus ephebi propter Bacchi sacra bene peracta collaudantur; quae mea sententia ad ea duo Bacchi sacra referenda sunt, quae sola non in hoc tantum, sed omnino in omnibus epheborum titulis commemorantur, magna Dionysia et Piraea. Quod quum ita sit, apparet, alterum ad Dionysia magna pertinere, quum prius XIto Gamelionis die, duobus mensibus ante Dionysia, alterum vero XVIto Thargelionis, duobus mensibus post ea compositum sit. Et eius rei vestigium etiam in eo deprehendisse mihi videor, quod in altero plebiscito post vocabula *ἐκκλησία ἐν τῷ θεάτρῳ* additur *ἐν Διονύσου*, quum cetera ad verbum consentiant. Nam ut prius illud plebiscitum ita etiam omnia alia huius temporis, quamvis omnia comitia in Bacchi theatro habita sint, hoc additamento carent (inscr. 1 v. 30. 2 v. 3. 51. 3 v. 3. 67. 4 v. 50. 5 v. 30). At priore tempore, quum solerent comitia in Pnyce haberi, ea sola, quibus de iis, quae ad magnorum Dionysiorum sacra pertinerent, deliberabatur, in theatro tanquam in ipsius dei domo habita sunt, ob eamque rem proprie haec dicitur *ἡ ἐν Διονύσου ἐκκλησία* (Aesch. 2, 61. Demosth. 21, 9. *Φιλ. Δ* p. 193 *τῇ ἐν Διο[ν]ύσου ἐκκλησίᾳ δόξασα καλῶς ἐπιμε[μελῆσθαι*

11) In omnibus titulis est *εἰς ήγαγον*, praeter 4 v. 14 qui exhibet *ἐξήγαγον*.

. . . . . . *τὴν ἑορτὴν τοῦ Διονύσου*). Haec igitur formula solennis in hac sola ecclesia etiam postea servata esse videtur (cf. etiam *Φιλ. Δ* p. 90). In his vero decretis praeter ea, quae iam commemoravi, etiam utriusque Bacchi templum ab ephebis restitutum esse dicitur.

5. ***Πείραια*** nomen duo tituli (3 v. 16. 4 v. 13) exhibent, quumque in aliis eius loco insint verba *θύσαντες τῷ ἐμ Πειραιεῖ Διονύσῳ* (1 v. 12), dubium non est illud eiusdem festi proprium nomen esse, quod minus accurate etiam Dionysiorum nomine significatur, C. I. Gr. 101 *ὅταμ ποιῶσι Πειραιεῖς τὰ Διονύσια*. Ex hoc vero titulo et ex lege fictitia apud Demosthenem 31, 10 videmus hoc festum similiter atque magna Dionysia et Lenaea ludis scenicis celebratum esse. Quodsi recte supra plebiscitum 1 v. 63—72 ad haec sacra rettuli, inde cognoscitur, non proprium pagi Piraeensium, sed commune totius civitatis (*δημοτελὲς*) fuisse, quum aliter non senatus populusque Atheniensium peculiari decreto propter Piraea bene celebrata iuvenes laudassent. Ex eodem decreto etiam tempus ita certe definiri potest, ut aliquanto ante XIum Gamelionis mensis diem factum esse dicamus [12]). Quum vero eo qui antecessit mense Posideone *Διονύσια ἐν ἀγροῖς* celebrata sint, a veri specie abhorrere non videtur, Piraea ex his ipsis, quae ut per omnes pagos, ita etiam in Piraeeo celebrabantur, extitisse et postea demum proprium quoddam et splendidissimum festum facta esse, ex quo simul patet, cur antiquo tempore Piraeorum nomen nusquam inveniatur.

Ephebi vero hoc festo pompam ducebant (Dem. l. l.; in titulis vocabulum *παρήγαγον τῷ Δ. ταῦρον* hanc indicat), taurum immolabant et phialam argenteam consecrabant.

---

12) Quid in huius decreti v. 66 scriptum fuerit, ubi nunc haec supersunt: *τῷ Διονύσῳ τῷ ἐ . . . . . . φ*, assequi non possum. Nam siquidem recte ad Piraea haec retuli, id quod Pittakis (*Ἐφ. ἀρχ.* 4097) supplevit *τῷ ἐ[ν Ληναί]ῳ*, ferri non potest. *ἐ[μ Πειραιεῖ* scribendum putarem, nisi Cumanudes insequentem versum a litera φ incipere indicasset. (Nam formam *Πειραιός*, quam Steph. Byz. s. v. praebet, in titulum introducere non audeo, quum alibi semper usitata illa inveniatur).

6. *Galaxiis* Matri deorum sacra facta esse ab ephebis in uno titulo 1 v. 13 refertur [13]).

7. Item in una inscriptione (2 v. 14) leguntur haec: *συνιελουμένης δὲ καὶ τῆς θυσίας τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Νίκῃ συνεπόμπευσαν καλῶς καὶ εὐσχημόνως, βοῦν συνπέμψαντες, ἣν καὶ ἔθυσαν ἐν ἀκροπόλει τῇ θεῷ*, quae paulo obscuriora sunt. Nam de *Νικητηρίοις* quidem, quibus victoria Minervae de Neptuno celebrabatur, iam propterea cogitandum non est, quia neque ab antiquis traditur neque per se veri simile est cognomen *Ἀθηνᾶς Νίκης*, ut Corsinus F. A. II p. 352 voluerat, cum illa victoria cohaerere; quod potius deam, quae populo suo victoriam dat, videtur significare [14]). Accedit quod si re vera (Hermann l. l. §. 56, 1) altero Boëdromionis die, id est primo post initium ephebiae, celebrata sunt, sine dubio initio tituli efferenda erant. Neque maiore iure de Panathenaeis illa intelligi posse videntur, nam sacrificium quidem Minervae Victoriae fiebat in hoc festo (Rang. antiqq. Hell. n. 814) sed tamen hoc sacrificium in clarissimis illis Minervae Poliadis sacris tam exigui est momenti, ut nemo unquam notissimum Panathenaeorum festum hoc insolito et obscuro modo significasset. Quare mihi quidem cautissimum videtur, praesertim quum in uno tantum titulo commemoretur, non de festo quotannis redeunte, sed de sacrificio quodam semel certa de causa facto cogitare; quae causa videtur victoria quaedam aut Atheniensium ipsorum, aut, id quod verisimilius est ea aetate, sociorum, fortasse Romanorum, fuisse.

8. De *Diogeneis* v. cap. III §. 1. His solis sacris praeter Eleusinia duo tauri ab ephebis immolabantur (3 v. 24), ex quibus quanta fuerit erga Diogenem illum epheborum gratia cognoscere licet!

---

13) De phiala argentea deae oblata praeter hunc locum etiam in aliis titulis sermo est (velut 2 v. 23. 5 v. 7).

14) Quare Pausanias I, 22, 4 eam omisso proprio deae nomine prorsus in universum *Νίκην ἄπτερον* vocat; etiam quod idem I, 42, 4 *Ἀθηνᾶν Νίκην* a Megarensibus quoque cultam esse refert, indicat huius cognominis vim multo latius patere, quam quod a fabula illa Atheniensium propria derivari possit.

9. *Thesea* splendidissime celebrata esse videntur. Nam praeter magnum omnis generis certaminum gymnicorum et equestrium numerum, quae nunc accurate cognoscere licet ex titulis *Φιλ. Β* p. 132 sqq. *Γ* p. 150 sqq. complures quoque lampades fiebant, ex quibus una erat qua ephebi cum iis qui iam ex ephebis excesserant certabant. (*Ἐφ. ἀρχ.* 4042 v. 11 *Φιλ. Β* p. 136 v. 63. *Γ* p. 154 v. 64). Accedit quod etiam ephebi armati prodierunt et quid in usu armorum et rebus tacticis profecissent ostenderunt (*ἀπόδειξις ἐν ὅπλοις* inscr. 2 v. 23. 77. 3 v. 20. 4 v. 14. 5 v. 4 cf. cap. III §. 3).

10. *Epitaphia* quantum scio hucusque ignota erant. Atque nomen quidem ipsum indicat ea fuisse solemnia in memoriam mortuorum publice instituta; quae autem inter haec et *Γενέσια* (Hermann l. l. §. 48, 11. 56, 2) intercedat ratio, obscurum est, quamquam a veri similitudine non abhorret, posteriore tempore illud nomen pro hoc invaluisse. Videntur vero simili modo celebrata esse atque Thesea, nam et ludus ille armatorum epheborum etiam in his sacris commemoratur (omnibus quos supra attuli locis) et lampade cum iis qui superiore anno ephebi fuerant contendebant (1 v. 10 *ἔδραμοι δὲ καὶ τὴν λαμπάδα τοῖς Ἐπιταφίοις πρὸς τοὺς ἔνους ἐφήβους, οὓς καὶ ἐνίκων*) [15]. Praeterea cursus in armis fiebat inde a communi eorum qui in bellis ceciderant sepulcro (*πολυανδρεῖον* 2 v. 22) quod situm erat in Ceramico.

11. *Αἰάντεια ἐν Σαλαμῖνι* hucusque ex Hesychio solo nota erant, nunc ex titulis accuratius de iis dici potest [16]. Erant igitur ea inter maxima Salaminiorum sacra [17], itaque,

---

15) Etiam Epitaphiis praeter hanc lampada epheborum alias quoque factas esse *Ἐφ. ἀρχ.* 2032 indicat (*τὴν λαμπάδα τῶν ἀνδρῶν Ἐπιτάφια νικήσας*).

16) Hesych. „*Αἰάντεια· ἑορτὴ ἐν Σαλαμῖνι.*“ Praeter inscr. 1 v. 16—18. 2 v. 30. 72. 3, 24. 4, 22. *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 14 etiam duo integra Salaminiorum decreta supersunt, quibus ephebi collaudantur propter haec sacra bene celebrata, inscr. 1 v. 53—63. 4 v. 75—89.

17) Ut honores a populo decreti Athenis Dionysiis, Panathenaeis, Eleusiniis a praecone renuntiantur, ita Salamine Aeanteis (C. I. Gr. 108). Templum Aiacis (*Αἰάντειον*) commemoratur inscr. 4 v. 87. Pausan. I, 35, 2.

praesertim quum etiam Salaminis incolae cives Attici essent et heros ipse cum Atheniensibus inde ab antiquo tempore coniunctus (Il. *B*, 558), mirum non est, ea epheborum Atheniensium praesentia concelebrata esse. Qui Athenis advehebantur duabus navibus biremibus (*δικρότοις* = *διήρεσι* inscr. 4 v. 76) pompam ducebant una cum insulae incolis et cum summis Salaminiorum magistratibus Aiaci sacrificium faciebant (4, 77). Praeterea etiam Aesculapio sacra facta esse inscr. 1 v. 17. 55 refertur; cui quaenam intercedat cum Aiace necessitudo, non perspicio. Denique etiam certamina fiebant varii generis, velut *μακρὸς δρόμος*, quo ephebi cum Salaminiis certabant (1, 17), lampas, certamen navale (*ἅμιλλα τῶν πλοίων* 1 v. 16. 54 al.). Quibus omnibus bene actis a populo Salaminio corona aurea ornantur.

Iam supra quum dicerem de iis sacris, quibus maiorum victoriae ab ephebis celebratae sint, etiam Aeantea commemoravi; namque non dubito quin etiam hoc festum ad memoriam victoriae Salaminiae pertinuerit, in qua Aeacidas, ex quo genere Aiax erat, Graecis opem tulisse fama erat (Plut. Themist. c. 15. cf. Herodt. VIII, 64 *αὐτόθεν μὲν ἐκ Σαλαμῖνος Αἴαντά τε καὶ Τελαμῶνα ἐπεκαλέοντο*).

12. Eiusdem victoriae gratiam referebant *Munychiis* Dianae (Corsini F. A. II p. 348. Hermann l. l. §. 60, 2). In quo festo pompam quidem factam esse tituli testantur (inscr. 3 v. 20. *Ἐφ. ἀρχ.* 4041 v. 23), quae tamen non recta via Athenis Munychiam deducta esse videtur, sed potius in portum Piraeensem, unde navibus sacris circa peninsulam Munychiae in portum Munychiensem vehebantur [18]). Deinde sacra faciebant deae in templo iuxta ipsum portum sito (Pausan. I, 1, 4). Cum illa pompa certamen navium coniunctum erat (inscr. 2, 29 et 3, 20) quod iam antiquitus in hoc festo factum esse indicare mihi videtur Platonis comici locus apud Plutarchum Themist. c. 32, qui de Themistocle dicit:

Ὁ σὸς δὲ τύμβος ἐν καλῷ κεχωσμένος

18) Id inest in vocabulo *περιέπλευσαν* 1 v. 16. 3 v. 21 *εἰς τὸν ἐν Μουνιχίᾳ λιμένα* additur 2 v. 29. *ἐν ταῖς ἱεραῖς ναυσὶν* 1, 16.

τοῖς ἐμπόροις πρόσρησις ἔσται πανταχοῦ
τούς τ' ἐκπλέοντας εἰσπλέοντάς τ' ὄψεται
χὡπόταν ἅμιλλ' ᾖ τῶν νεῶν θεάσεται.

Quae quamvis in universum de eiusmodi ludis in Piraeeo actis dicuntur, tamen multo meliorem et aptiorem existere puto sententiam, si poëta Themistoclis tumulum eos ipsos ludos spectare dicat, quibus immortalis eius victoria a posteris celebrabatur. Quare nescio an haec ratio praeferenda sit ei quam Sauppius iniit, de inscr. Panath. p. 10, quum Platonis verba de Panathenaeis intelligenda diceret. Videtur vero hic mos usque ad imperatorum Romanorum tempora mansisse (*Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ.* 199 *ναυμαχ[ήσαντες] Μουνύχια συνεστεφανώθησαν*).

13. Denique etiam ea quae in nonnullis titulis (2 v. 18. 3, 27. 4, 17) dicuntur, ephebos duabus navibus ad tropaeum devectos esse ibique *Iovi Tropaeo* sacra fecisse, iure Cumanudes ad illud tropaeum retulisse videtur, quod Paus. I, 36, 1 in litore Salaminis positum fuisse testatur.

14. Eodem modo etiam Marathoniae victoriae memoriam in ipso, quo pugna facta erat, loco, solemniter recultam esse indicat inscr. 2, 69 *ἤγαγεν δὲ καὶ ἐπὶ τὸ [ἐ]μ Μ[αραθῶνι πολυανδρεῖον, ὃ ἐστεφ]άνωσαν καὶ ἐνήγισαν τοῖς κατὰ πόλεμον τελευτήσασιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας*[19]). Eos enim, qui Marathone ceciderant, solos ex omnibus proprio sepulcro in ipso pugnae loco conditos esse Paus. I, 29, 4. 32, 2 refert. Cuius tumuli etiamnunc reliquiae superesse videntur (Bursian, Geographie v. Griechenl. I p. 337).

15. Quae inscr. 2 v. 29 leguntur *καὶ τῇ πομπῇ τῶν μεγάλων θεῶν ἐποιήσαντο τὸ* . . . (etiam 4, 18 simile aliquid scriptum fuisse videtur), ea quamvis res non plane certa sit, tamen summa cum verisimilitudine ad Dioscuros refero, quos in pago Cephale ab Atheniensibus *μεγάλων θεῶν* nomine cultos Paus. I, 31, 1 narrat. Horum enim sacra vel maxime

---

19) *Μαραθῶνι* acute coniecit Cumanudes; sed in eis quae sequuntur supplet *τρόπαιον*, quod per se aeque aptum propterea mihi minus probatur, quod in eiusdem tituli plebiscito priore ubi de eadem re agitur v. 26 sqq. scriptum est *παραγενόμενον δὲ [ἐπὶ τὸ] πολυανδρεῖον ἐστεφάνωσαν καὶ ἐνήγισαν κτλ.*

ad ephebos pertinuisse natura rei fert, quum et ipsi iuvenes pulcherrimi et fortissimi fuerint.

16. Contra quae eiusdem tituli v. 28 scripta sunt *παρεγένο[ντο] δ[ὲ καὶ . . . . σι . . ιτὴν γεγονεῖαν ἐκ παλαιῶν χρόνων ὑπὸ τῶν πατέρων τοῦ ἱεροῦ [κ]υριείαν*[20] *καὶ θύσαντες ἀπῆλθον αὐθ[ημερεί*, ea quo pertineant si omnino extricari poterit, certe hoc peritiori quam ego sum relinquendum erit[21]).

17. *Διισωτήρια* nomen quamvis novum sit, tamen rem notam significat, sacrificium illud, quod ultimo anni die fiebat *τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι καὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ σωτείρᾳ* (Lysias 26, 6. Rang. ant. Hell. 793. 794. *Ἐπιγρ. ἀνεκδ. ὑπὸ τοῦ ἀρχαιολογικοῦ συλλόγου φυλλ. β' ἀρ.* 64). His igitur deis etiam ephebi arietem mactasse dicuntur (*Ἐφ. ἀρχ.* 4042 v. 25. inscr. 2, 30. 78. 4. 21)[22]).

B. Imperatorum Romanorum tempore quibus sacris interfuerint ephebi inprimis ex agonothetarum nominibus, quae epheborum catalogis adiici solent, cognoscitur. Eiusmodi tituli haud pauci servati sunt, ex quibus longe gravissimi et integerrimi duo sunt *Φιλ. B* p. 428 sqq. *Γ* p. 277 sqq. Qui quum in plerisque consentiant, eo differunt, quod praeter ea sacra, quae in priore illo recensentur, in hoc accedunt *Κομόδεια, Σεβήρεια, Φιλαδέλφεια.* Quae res certissimum temporis indicium continere videtur, ita ut priorem titulum ante haec sacra instituta, i. e. non ita multo post M. Aurelii mortem, hunc vero circa Caracallae imperium compositum esse appareat. His vero comparatis etiam ceterorum eiusmodi titulorum tempus facili negotio constitui potest. In his vero titulis ex iis, de quibus supra diximus, sacris, sola *Thesea* recensentur; praeterea ex antiquioribus festis *Asclepia* (*Φιλ.* l. l. C. I. Gr. 246 al.) magnorum Dionysio-

---

20) Cuius vocabuli loco v. 70 ubi eadem fere redeunt legitur *προστασίαν.*

21) Nam quod Pittakis supplet (*Ἐφ. ἀρχ.* 4098) *εἰς Ῥαμνοῦντα* nihil est nisi coniectura neque minus neque magis verisimilis alia quamcunque quis proferre potest, atque insuper ne vestigiis quidem quae in lapide supersunt accommodatum esse videtur.

22) *Διὶ σωτῆρι ἐφήβων* anathema consecratur a duobus ephebis C. I. Gr. 246.

rum προαγών (Aesch. III, 67. Hermann l. l. §. 59, 4). Quibus in uno titulo accedunt duo alia festa, quae ad Bacchi cultum pertineant, Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ. 199, quuum legatur v. 58 ἐπετέλεσεν τὸν ἀγῶνα τῶν Ληναίων et v. 68 ἐπετέλεσαν τοὺς Κύθρους (i. e. Χύτρους, forma Ionica, quae mira videtur in titulo Attico). Iam de *Athenaeis* (Φιλ. l. l. C. I. Gr. 245. 283. 285 al.) magnopere dubium est, utrum antiqua sint an recentiore tempore instituta. Praeter illos agonothetarum catalogos etiam in titulo ap. Rangabé n. 1245, ubi ἱεροποιοὶ huius festi recensentur, et apud Athenaeum XIII, 12 Athenaea commemorantur. Ex quo Athenaei loco apparet, ex omnibus Atheniensium festis haec Athenaea primum dignitatis gradum tenuisse, quocum bene convenit quod supra vidimus saepe cosmetam ipsum huius festi agonothesiam suscipere. Quare quum Boeckhius (C. I. Gr. ad n. 245) dubitare se dixerit, utrum haec Athenaea „sint quae olim Panathenaea, an Χαλκεῖα, quae Suida auctore dicta Ἀθήναια et olim fuerunt δημοτελὴς ἑορτή, deinde tantum fabrorum — —; sed potuerunt postea splendidius restituta esse,“ mihi illa sententia multo verisimilior esse videtur. Quanquam mirum est, quum in illis agonothetarum catalogis semper simpliciter Ἀθήναια dicantur, tamen in aliis eiusdem temporis titulis etiam Παναθήναια commemorari (C. I. Gr. 380. 381. 1068. Ἐφ. ἀρχ. 2323) ita ut ego aliquando de novo omnino festo et a Panathenaeis diverso cogitaverim. Nunc vero verisimilius mihi est rem ita expediendam esse, ut quum aliquando publice Panathenaeis nomen suum antiquissimum (Pausan. VIII, 2, 1) redditum esset, tamen, ut fieri solet in eiusmodi rebus, alterum illud in quotidiano sermone semper manserit. Ἀμφιεράων agonotheta in duobus titulis est (Φιλ. Α p. 519. Γ p. 555; festi nomen praeterea etiam fuit Φιλ. Α p. 517 n. 3, ubi nunc literae Ἀμφιερ . . supersunt). Quo in vocabulo quamquam singularem scribendi rationem sculptoris negligentiae imputare trium titulorum consensus vetat, tamen iure Cumanudem eam ex Ἀμφιαραΐων depravatam dixisse puto, quae solemnia Oropi celebrata (Ἐφ. ἀρχ. n. 2558) facile possunt ab ephebis frequentata esse, quia per hoc totum de quo agimus tempus Oropus Atheniensium fuit. (Ahrens l. l. p. 60).

Accedunt novi quidam ludi velut *Ἐπινίκια*, quorum agonothetae in omnibus illis catalogis recensentur, et *ὁ περὶ ἀλκῆς* (scil. *ἀγών Ἀρχ. ἐφ. περ. Β. ἀρ.* 199 v. 89) C. I. Gr. 283 v. 14. *Φιλ. Δ* p. 384. 519 *Γ* p. 277 *Ἐφ. ἀρχ.* 2600; item ibid. 2601 v. 15 nam quae Pittakis ibi scripsit sensu cassa sunt). Denique etiam quae *Φιλ. Γ* p. 444 (cf. *Ἀρχ. ἐφ. περ. Β ἀρ.* 199) leguntur *„ἐκ τῶν σεβαστοφορικῶν ἐδόθη ἐν Πλαταιαῖς τῷ διαλόγῳ διανομὴ τοῖς ἐφήβοις καὶ τοῖς περὶ τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν τεταγμένοις“* de sacris quibusdam intelligenda videntur, quamquam in singulis vocabulis permulta obscura sunt. *Σεβαστοφορικά* enim nomen plane novum est; id vero unde hoc derivatur, *σεβαστοφόρος* apud Suidam s. v. *Αὔγουστος* commemoratur ea vi, ut sacerdotem Augusti significet; quum vero in utroque titulo, *Φιλ. Γ* p. 444 et *Ἀρχ. ἐφ. ἀρ.* 199, pecuniae ex illis *σεβαστοφορικοῖς* erogatae esse dicuntur *εἰς θυσίας ὑπὲρ τῆς νίκης* [*ὑγείας Ἀρχ. ἐφ.*] *τοῦ αὐτοκράτορος*, fortasse de aerario quodam sacro, ex quo impensae in cultum imperatorum fierent, cogitandum est. In illa distributione pecuniae vero ephebos ternos, magistros quinos denarios accepisse docet titulus in *Ἀρχ. ἐφ.* Sed qui est ipse ille *διάλογος ἐν Πλαταιαῖς*, in quo haec omnia facta esse dicuntur? Mihi, ut etiam ei, qui titulum in Ephemeride Archaeologica edidit, veri simillimum est, de Eleutheriis Plataeensium intelligendum esse, praesertim quum mirum esset, si iidem ephebi, qui Salaminiae, et Marathoniae pugnarum memoriam tam pie colebant, tertiae illius victoriae de Persis reportatae rationem nullam habuissent. Vox *διάλογος* vero quid sibi velit in hac re, non perspicio. Praeter haec omnia autem plane novum accessit genus sacrorum, quibus imperatores Romani aut homines cum iis aliqua necessitudine coniuncti celebrabantur. Quo in genere haec sunt quorum quidem memoria in titulis servata sit:

1. *Γερμανίκεια.* Cuius hominis memoriae hoc festum sacrum fuerit, vix, quum tot imperatores Romani cognomen Germanici gesserint, diiudicari potest. Boeckhius quidem in C. I. Gr. ad n. 246 in Caracallae honorem institutum esse vult et de Traiano, Commodo vel antiquiore imperatore cogitare vetat. At haec sententia nunc non amplius teneri potest, quum titulus (*Φιλ. Γ* p. 350 sqq.) inventus sit P.

Aelio Hadriano archonte compositus, ubi haec sacra commemorantur. Item recensentur *Φιλ.* *Α* p. 384, quem titulum Abascanti paedotribae nomen (II §. 3) Antoninorum tempori vindicat, et *Β* p. 428, quem eodem fere tempore compositum esse paulo supra demonstravi. Quum igitur post Traianum instituta esse nequeant, fortasse de eo ipso cogitandum est, quippe qui Germanici cognomine usus sit cuiusque in honorem etiam Argis sacra *Γερμανικείων* nomine facta sint (C. I. Gr. 1186).

2. *Ἀδριάνια* (*Φιλ.* l. l. *Α* p. 384 al. C. I. Gr. 246. 283. 286).

3. *Ἀντινόεια* duplicia erant, *ἐν ἄστει* (ita etiam *Ἐφ. ἀρχ.* n. 2601) et *ἐν Ἐλευσῖνι* (*Φιλ.* l. l. C. I. Gr. 248. 283 al.) Videntur haec sacra inprimis epheborum propria fuisse, quia Antinous ipse cognomine *ἔφηβος* colebatur, cuius sacerdos semper e numero epheborum fuit (*ἱερεὺς Ἀντινόου ἐφήβου* *Φιλ.* *Α* p. 479. — ibid. p. 384 *Γ* p. 444, ubi simul utrorumque Antinoëorum agonotheta est). Agebantur vero Antinoëa etiam Argis et Mantineae (C. I. Gr. 1124).

4. *Ἀντώνεια.* Hanc nominis formam omnes tituli praebent; quare etiam C. I. Gr. 248 lectio *Ἀντώνεια*, quam Boeckhius e Grutero effert, vere in lapide fuisse, quam vero B. ipse recepit, *Ἀντωνίνεια* coniecturae alicuius ex prioribus editoribus deberi videatur. Tamen, id dubium non est, hoc nomen ab *Ἀντωνῖνος* derivandum esse; forma enim contracta explicatur ex lege illa latissime patente linguae Graecae, ex qua syllaba eadem bis repetita quantum fieri potest vitatur. Nam *ῑ* et *ει* illo tempore eandem vocalem fuisse qui vel semel inspexerit titulos cognoscet. Utrum vero Antoninus Pius an M. Aurelius sit, cui haec sacra fiebant, nunc quidem diiudicari non potest. De literis *ἐπιμα*, quae *Φιλ.* *Β* adduntur huic nomini, non habeo quid dicam praeterquam quod ea accuratiorem illius festi definitionem praepositione *ἐπὶ* expressam continere apertum est.

5. *Κομόδεια* C. I. Gr. 248. 249. *Φιλ.* *Γ* p. 277. *Ἐφ. ἀρχ.* 2601.

6. *Σεβήρεια* C. I. Gr. 248 *Φιλ.* *Γ* p. 277; *μεγάλα Σ.* dicuntur *Ἐφ. ἀρχ.* 2831. Quod fortasse similiter atque in antiquioribus quibusdam sacris indicat semper certo quodam

annorum numero interiecto maiore splendore haec sacra celebrata esse.

7. *Φιλαδέλφεια* a Septimio Severo in honorem filiorum Caracallae et Getae instituta (C. I. Gr. 245. 246. 283. *Φιλ.* ***Γ*** p. 277).

Quo tempore anni haec singula sacra facta sint, in obscuro est. Nam eum ordinem, quo in titulis se excipiunt, non secundum temporis rationem constitutum esse inde patet quod is in aliis titulis plane alius est (confer v. c. *Φιλ.* ***Α*** p. 518 et ***B*** p. 430). Sed ne ea quidem ratio, quam Boeckhius ad C. I. Gr. n. 2309 instituit, quum diceret ubi idem esset gymnasiarchus mensis alicuius et agonotheta, id indicio esse, illud festum, cuius agonotheta esset, in eum mensem incidere, aliis titulis comprobata est. Quum enim ibi Antinoëorum quae Eleusine aguntur agonotheta simul Posideonis gymnasiarchus sit, *Φιλ.* ***Γ*** p. 554 illa agonothesia cum Scirophorionis gymnasiarchia coniuncta est; item Germaniceorum agonotheta illic Thargelionis, hic Pyanepsionis gymnasiarchus est.

Quae in his omnibus ludis fuerint epheborum partes, ex parte tantum indicari potest. Atque cum omnibus fere certamina gymnica coniuncta esse videntur. Certe C. I. Gr. 246 sex festorum victoriae in ludis gymnicis reportatae recensentur; quae festa sine dubio ex eorum numero fuerunt, de quibus modo dixi, nam quum cetera nomina interciderint, Philadelpheorum et Athenaeorum servata sunt. Item *Φιλ.* ***Α*** p. 384 n. 3 ex Antinoëis utrisque, Adrianeis, Germaniceis [23] ludorum gymnicorum victores recensentur.

Praeterea in Germaniceis commemoratur lampas et *ναυμαχία* (*Φιλ.* ***Γ*** p. 353).

Denique satis memorabile certaminis genus in his sacris commemoratur, quod constabat in laudationibus eorum, quibus sacra fiebant, componendis et recitandis, quo in genere duo distinguuntur, *ἐγκώμιον* et *ποίημα* (*Φιλ.* ***Α*** p. 384 ***Γ*** p. 353; *ἐγκωμιογράφος* et *ποιητής* C. I. Gr. 245). Ex quibus Boeckhius illud lyricum, hoc epicum carmen fuisse dicit.

---

23) Huc etiam pertinet C. I. Gr. 282 *Φιλιστίων πυγμ[ῇ νικήσας ἐν τοῖς Γερ]μανικείοις ἀνέθ[ηκεν.*

Mihi quum iam per se veri similius fuerit, illo vocabulo *orationem* significari, haec sententia magnopere confirmata est, quum in titulo C. I. Gr. 1587 (= *Ἐφ. ἀρχ.* 3707) Acraephnii reperto duos victores recenseri viderem, alterum *ἐγκωμίῳ λογικῷ* [24]) (i. e. pedestri oratione composito) alterum *ἐπῶν ποιητήν.* Ex hoc vero altero apparet, iure Boeckhium *ποίημα* illud epicum fuisse statuere.

---

24) Ita enim in lapide esse testatur Pittakis, cum Boeckhius ediderit *ἐγκωμιολογικῷ.*

ADDENDA.

Iam initio libelli mei dixeram, Grasbergeri commentationem de tribus prioribus plebiscitis quae ad epheborum res spectent sero ad manus meas pervenisse. Atque quum in universum, id quod magno cum gaudio intellexi, fere de omnibus rebus conveniat inter illum et me, pauca, quibus aut quae ego scripsi suppleri et corrigi existimem, aut quae contra illum defendenda videantur, hic addam. Praeterea tribus recentissimis Philistoris fasciculis (*τόμ. Δ. τεῦχος* 2—4) in ipsa commentatione uti non potui; quare etiam inde excerpsi, quae alicuius momenti esse viderentur:

ad p. 17 not. 3. Vox *πρωτέγγραφοι*, de qua equidem dubitaveram, nunc legitur in duobus titulis recens editis *Φιλ. Δ* p. 165 et 280 v. 9.

ad p. 19. Iis, quae de systremmatum numero disputavi, favere non videtur titulus *Φιλ. Δ* p. 168 nr. 3, quippe ubi *tredecim* systremmatarchae recenseantur.

ad p. 24. Eodem modo, quo C. I. Gr. nr. 245, etiam *Φιλ. Δ* p. 344 inscr. 2 tres aetates literis *Α, Β, Γ* significantur, sed additis semper literis *ΤΑΞ*, i. e. *τάξεως* vel *τάξιν*. Quo minus dubium esse potest, Boeckhium recte vocabula *πυμάτην* et *πρώτην τάξιν* tituli C. I. Gr. 246 ad haec aetatum discrimina rettulisse.

ad p. 39. Paedotribarum perpetuorum catalogo haec supplementa ex recentissimis Philistoris fasciculis accedunt:

Aristo Aphrodisii f. Rhamnusius paedotriba (*non* addito *διὰ βίου*) recensetur *Φιλ. Δ* p. 332; sed quod superscriptum est huic titulo „*ἀγαθῇ τύχῃ Κλαυδίου Καίσαρος σεβαστοῦ Γερμανικοῦ νείκης,*" id ab eis quae de Aristonis illius aetate exposuimus abhorret: quare duo eiusdem nominis et demi paedotribere, fortasse avus et nepos, fuisse videntur.

Abascanti decimus annus commemoratur in titulo primi fasciculi quarti voluminis Philistoris, ubi casu quodam ea verba exciderunt (Cumanudes Φιλ. Δ p. 168) vicesimus eiusdem annus Φιλ. Δ p. 280 v. 9.

Ceterum in universum a Boeckhio Abascanti aetatem recte definitam esse, comprobat titulus Φιλ. Δ p. 164, cui superscriptum est ἀγαθῇ τύχῃ αὐτοκράτορος Ἀντωνείνου, quum in eo Abascantus quartum annum munere fungi-dicatur.

Crato nunc duobus aliis locis commemoratur (Φιλ. Δ p. 168 nr. 3. 344 nr. 4) ubi accuratius dicitur Αὐρ. Σεραπίων ὁ καὶ Κράτων: hoc non est nisi cognomen.

Epictetus Philerotis f. Sphettius etiam Φιλ. Δ p. 272 v. 12 paedotriba est; in eodem titulo *Nicostratus* Hilari f. Pallenensis hypopaedotriba. Qua re luculentissime ea quam ego constitui inter utrumque temporis ratio, ut Nicostratus Epicteto in paedotribae munere successerit, comprobatur.

ad p. 46. Obscurum illud scenarchiae munus etiam Φιλ. Δ p. 267 v. 46 commemoratur („κα]ὶ ἐσκηνάρχη[σεν] ἡμέρας τρεῖς.

ad p. 62. Grasbergerus p. 16 in universum quidem de vocabulis ἤραντο τοὺς βοῦς Artemidori loco illustrandis cum Curtio consentit, sed tamen minus accurate de pugnis cum tauris commissis dici putat, quum magis de tauris ad aram apportandis agatur. Quod mihi propterea probatur, quia aliquot scriptorum locis demonstrari posse videtur, omnino apud Graecos moris fuisse ut iuvenes validi atque exercitati victimas umeris sublatas ad aram afferrent, veluti Euripides dicit Helenae v. 1562 sqq.

„οὐκ εἶ' ἀναρπάσαντες Ἑλλήνων νόμῳ
νεανίαις ὤμοισι ταύρειον δέμας
εἰς πρῷραν ἐμβαλεῖτε;"

Conferas etiam eiusd. Electr. v. 811 sqq.

„κἄσφαξ', ἐπ' ὤμων μόσχον ὡς ἦραν χεροῖν δμῶες."

Et in hac re quoque Herculem qui omnino athletarum patronus est, imitantur, quippe qui cognomen Ταυροφόρος gesserit.

ad p. 63. Quae ego ad Oschophoria rettuli, ea Grasbergerus (p. 18. 43) de Panathenaeis intelligenda putat, non

quidem de maxima illa pompa Panathenaica, sed potius „von einer Procession des Pallasbildes an einem der mit ritterlichen, gymnischen und musischen Wettkämpfen beschäftigten Tage der Panathenaeen.“ Sed neque de tali pompa Grasbergerus testimonium attulit, neque quantum ego scio aliunde nota est. Deinde vero, id quod mihi gravissimum videtur, vocabulum *Φαληροῖ* de Panathenaeis cogitari vetat, quum ludi illi non Phaleri, sed in Echelidarum demo, ubi erat Atheniensium hippodromus (Meier Allg. Encycl. Art. Panathenaeen p. 283), acti sint. Contra quum Oschophoriorum pompam in Palladis templum Phaleri situm deductam esse constet, quidni simul etiam deae simulacrum eo delatum sit?

ad p. 64. Ex duobus illis plebiscitis quae primo titulo subiiciuntur et ad Bacchi quaedam sacra pertinent, Grasbergerus, quum de altero ad magna Dionysia referendo mecum consentiat, prius, quod ego ad Piraea refero, de *Lenaeis* intellegit. Res obscurissima est, neque equidem aliquid certi inveniri posse confido. Tamen quum miro quodam casu id unum vocabulum ipsius decreti, unde haec lis dirimi posset, ceteris omnibus integris, interierit, et propterea ex ipso decreto nihil auxilii peti possit, externum argumentum quaerendum est. Quod mea sententia hoc est: In omnibus illis plebiscitis, quae finito ephebiae anno ad collandandos ephebos fiunt, semper eadem duo Bacchi sacra quibus illi interfuerint, magna Dionysia dico et Piraea, commemorantur. Haec vero duo plebiscita, quae intra ipsum ephebiae annum facta sunt, eo consilio illis subiunguntur, ut tanquam testes sint eorum quae ibi de ephebis praedicantur. Quare ad easdem res referenda esse mihi videntur.

ad p. 66. Minervae Victoriae illa sacra Grasbergerus p. 44 Panathenaea minora esse vult, allato titulo ap. Rangabé nr. 814. Sed etiam hic titulus dubitationem eam, de qua supra dixi non tollit; ibi enim ex integra hecatomba Minervae Poliadi destinata una tantum quamvis pulcherrima vacca Minervae Victoriae mactatur.

ad p. 68. Iure Grasbergerus p. 21. 65 monet, mirum esse, quod certamen navale Munychiorum inscr. 3 v. 21 prorsus in universum „ἐν τῷ λιμένι“ factum esse dicatur;

quod non posse nisi de maximo atque gravissimo portu Atheniensium, Piraeensi intelligi; deinde demum navium certamine facto ephebos in Munychiensem portum devectos esse. Quod, si reputaveris quae Plutarch. Them. 32 de loco, ubi Themistocles sepultus sit, dicit, bene convenit cum eo, quod Platonis comici locum ad hoc potissimum navium certamen rettulimus.

ad p. 73. **ἱερεὺς Ἀντινόου** etiam **Φιλ. Δ** p. 280 v. 9 est; et idem sine dubio supplendum ibid. p. 267 v. 44 ubi Cumanudes indicat superesse litteras . . *NTINOO* . . . Quippe antecedunt utrorumque Antinoëorum agonothetarum nomina; quorum alter, ut iam in alio titulo vidimus, simul Antinoi sacerdos est, id quod solito more nomini eius subiicitur.

ad eandem p. Ad sacra in honorem imperatorum instituta novum accedit, **Γορδιάνεια Φιλ. Δ** p. 168 nr. 3 v. 27.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.